2

Franciſci Maſſarii Veneti

IN NONVM PLINII DE NATVRALI *hiſtoria librum Caſtigationes & Annotationes.*

Quiſquis de natura Aquatilium ac remotiore piſcium cognitione edoceri cupis, hunc Maſſarij commentarium eme & lege. Admiraberis laborem ac ingenium hominis candidiſsimi, qui longè maximam operam in ijs indagandis, ut ſtudioſi iuuarentur, inſumpſit.

PARISIIS

Ex officina Michaëlis Vaſcoſani, in uia quæ eſt ad D. Iacobum, ſub Fontis inſigni.

M. D. XLII.

CLARISS. DOCTORI BALTHASARI *Entzeſpergerio ciuitatis Selatiſtadienſis medico publico, compatri ſuo, Beatus Rhenanus* S. D.

OBſcuritatis permultum eſſe in piſcium aquatiliúmque cognitione eruditis minimè dubium eſt, ob maximam uocabulorum factam mutationem, non in Italia ſolùm (quam olim uariarum gentium coloniæ Gothicis ac mox Langobardicis temporibus etiam maritimis locis occupauerũt) ſed & in Græcia, quæ nũc Turcarum ſeruitio premitur, ubi illuſtrium quoque oppidorum nomina unà cum ipſis ædificijs interiere, & celeberrimorum portuum mutatæ ſunt appellationes. Verùm quid de urbibus aut portibus dico, quum ipſarum regionum uocabula ſint nouata? Nihil enim non mutat uetuſtas, præſertim nouis cultoribus ſubingreßis. Equidem hanc piſcium cognitionem adiuuare enixè ſtuduit Franciſcus Maſſarius Venetus, qui etiam ipſa maria nauigando ſeſe perluſtraſſe teſtatur: ut non librorum modò præſidijs iſta tradidiſſe Maſſarium ſcias, quæ plerunque debilia ſunt, uerùm ipſis oculis ac experimentis obſeruaſſe. Legiſti Paulum Iouium Nouocomenſem de piſcibus Romanis: lege & hunc, & fateberis diligentiæ Maſſarij multum debere ſtudioſos. Vtinam haberemus ſi quid in ſimplicium atque herbarum materia conſcripſit, in qua eruenda feliciter grauiterq́; uerſari hodie Patauij Dominicum Sennum ferunt. Placet porrò mihi quòd in caſtigando ad uetuſta exemplaria confugit. non ille nunquam pro meritis ſatis laudatus Hermolaus Barbarus, ut in annotando omneis adhuc uicit qui Plinio manus ſunt admoliti, ita in caſtigando dimißis antiquis manu ſcriptis libris, ex authoribus ſæpe lectionem corruptam reſtituere conatus, fruſtra laborat. Grammaticum illud eſſe fateor, ſed tamen niſi ipſa uerba primùm rectè habeant, quem iuuabit authores euoluere? Ingenuè loquor. Edidit Sigiſmundus noſter Gelenius caſtigationes in Plinij hiſtoriam naturalem, ſcriptum humile & contemptibile in ſpeciem: ſed quantum lucis adferunt operi Pliniano? Annotare certè ſolum doctus poteſt cognitione linguarum atque lectione uaria pectus inſtructum habens: & labor quidem eſt ſplendidißimus, utilißimúsque. At diligens exemplarium collatio longè magis neceſſaria. ſiquidem germana uerborum reſtitutio, optima eſt authoris expoſitio. Sed de hoc doctorum eſto iudicium. De hoc admonendus non es, Mœnum fluuium cuius in hoc nono libro Plinius mentionem facit, adhuc (ut ſemper) à Germanis uocari Mainum, non Moganum aut Mogum, quæ uocabula noſtratium imperita confinxit antiquitas, Moguntiæ inſignis urbis occaſione, è regione cuius Mœnus Rheno miſcetur. Eadem licẽtia Albim in Albiam uertẽre. Vale mi Compater, & tantiſper dum hunc Commentarium legis, ex mediterraneo fias interdum maritimus, uel etiam marinus. Selatiſtadij, ſub calendas Februarias. Anno M. D. XXXVII.

FRANCISCI MASSARII VENETI
in Annotationes ſuas præfatio.

QVVM ſummus rerum omnium opifex ille, uirtutes in hac terrena plaga neque ſedem ſuam ponere, neque conſiſtere poſſe intueretur, potentiſsimos earum defenſores tutoréſque ac duces producere decreuit, qui non modò uirtutes ipſas perinde atq; clypeus ex omni parte defenſarent ac protegerent, ſed earum quoque ſectatores magnipenderent & honeſtarent. Quos etſi nonnullis Mœcenates appellare collibitum eſt, nos tamẽ ſi tam excellentis muneris officium perpendas, aptius ac magis congruè Heroas uocãdos eſſe cenſemus. Eriguntur enim ingenia mortalium tam ad præclaras functiones, quàm ad laudatarum artium gloriam, ſi ſemideorum munificentia, ſi illuſtrium liberalitate uirorum inuitentur. quo quidem animorum affectu literarum ſtudia illuſtrantur, attolluntur animi atque nobilitantur. Imperia uerò ritè ac ſanctè inſtituuntur, adminiſtrantur, augentur, quum eos habeant qui uirtutibus circumſepti ſcitè ſapientérque uitam degunt, atque inter adminiſtratores ueluti lumina non exigui ſplendoris effulgent, quibus tum publica tum priuata tutiſsimè negotia delegare poſsis. Et ſi Heros ullus unquam fuit, tu ille es, Iohannes rex inuictiſsime, qui uiros omni laude cumulatos complecteris, foues, ac magnis proſequere honoribus: ſub cuius præſidio homines aliquo ingenij cultu ornati conquieſcunt, ſpe fouentur, beneficióque deuincti uitam tranſigunt lætam ac tranquillam. Hac itaque ſpe freti lucubrationes has noſtras, quæ Caſtigationes & Annotationes in Plinium de naturali hiſtoria inſcribuntur, tuo dedicandas numini conſtituimus, & primùm quas in librum de Aquatilium natura perſcripſimus. Quòd ſi non ad plenum ſatisfecerimus, non erit culpa deſiderij noſtri, quod ſanè ardentiſsimum eſt, ſed quòd plus facere non potuimus. neque enim ulla eſt diſciplina aut ars, teſtante Columella, quæ ſingulari conſummata ſit ingenio. Quapropter ut in magna ſylua boni uenatoris eſt indaganter feras quàm plurimas capere, nec cuiquam culpæ fuit non omnes cepiſſe: ita nobis ſatis abundéque eſt, tam diffuſæ materiæ quam ſuſcepimus, maximam partem tradidiſſe. neque enim nos tantæ rei ſatisfacturos unquam ſperauimus, ſed ut alios quoque ad cætera proſequenda redderemus alacriores: nobis uitio non aſſcribant, præſertim quum Plinius ipſe multa quoque ſuis adijci poſſe fateatur: ſed prius quantum nos in iuuandis bonis artibus fecimus, ipſi tantum quoque faciant, ac deinde blaterent. Nec enim animo feremus iniquo, ſi ad hanc immenſam difficillimamq; à nobis ſuſceptam prouinciam in auxilium peritiores aduenerint, nóſque etiam ſuperauerint. Pædaretum ferunt egregium illum uirum, quum in trecentorum numero lectus non eſſet, qui ordo apud Lacedæmonios honore præſtabat, abiretq; hilaris ac ſubridẽs, reuocatum ab Ephoris, interrogatumq; quid rideret, reſpondiſſe, Quoniã equidem ciuitati gratulor, quæ ciues trecentos habeat meipſo meliores. Cæterùm ut ad Plinium meam conuertam orationem, doctiſsimum hominem fuiſſe Plinium, & Græcæ & Latinæ linguæ eruditiſsimum, non ueteres modò ſcriptores, atque in primis Auguſtinus noſter, ſed omnis ſtudioſorum ſchola conſenſit. Virum illum fuiſſe & diligẽtem & modeſtum & grauẽ, ille eius ex ſorore nepos, &

candidiſsimus

candidiſsimus ſcriptor Tranquillus, tum librorum ipſorum maieſtas, & dicendi modus ipſe ampliſsimum ferre teſtimonium poſſunt. Nam quis exactiſsimam illam atque abſolutam cuiuſque artis hiſtoriam, quæ omnium fuit maximè optabilis, longeq́; utiliſsima propter rerum copiam, tanta cura tantaq́; ſolicitudine, laborioſaq́; indagine humanis gentibus indicatã, niſi aut indoctus, aut impudens, aut inuidus & malignus inſectari audeat? quam nullus adhuc Græcus neque Latinus perſoluere potuit: ut de nullo ferè alio Græci nobis inuideant. Quàm multa & egregia & notatu digna ex authoribus quibus hac tempeſtate caremus, in his libris collecta reperies? Quot labores in his etiã quos habemus authoribus, tum interpretandi tum quæritandi talia, nobis ademit? O inæſtimabilem rerum tum Græcarum tum Latinarum iacturam, ſi naturalem hiſtoriam Plinij amiſiſsemus: quam quum adhuc mendoſa exiſtere uideretur, cum uetuſtis exemplaribus alijsq́; authoribus diligenter conferentes duximus corrigendam, atq; etiam exponendam. In qua quidem interpretanda non grãmaticam, quum multis in libris alijs hæc tradita eſſe reperiatur, ſed errores, resq́; tantum particulares, quæ uel nimia uetuſtate, uel patrum noſtrorum negligentia apud nos perierãt, expoſuimus. quod ut commodius perficeremus, cum authoribus ferè omnibus, quos ſcire potuimus uel Plinium ab illis, uel illos à Plinio accepiſſe, uel quòd de eiſdem etiam rebus pertractarent, Plinium ipſum contulimus, qui quaſi loco expoſitorum quorundam haberi uidentur: ea quidem utentes, non qua debuimus, ſed qua potuimus, diligentia: etiam ſi non ignoraremus quàm ardua, quàm excellẽs & eximia res ſit hos de naturali hiſtoria libros corrigere ac declarare, præſertim quum uiri multi in literarum cultu non ignobiles, qui eos non dicam exponere ſed caſtigare adorti ſunt, ad plenum ſatisfacere non potuerint: quorum tamen & ingenium & diligentiã probare officioſa prædicatione ſolemus. Sed quũ omniũ conatus altius rimari pergimus, eorũq́; uirtutes conferimus, qui Hermolao Barbaro præferri poſsit inuenimus neminẽ. Incredibilis enim eius diligentia fuit, qui in tanto rerum interitu, tãtaq́; linguæ Latinæ Græcæq́; in Plinio facta diminutione, eò peruenerit, ut Plinium corruptiſsimum, ac propè deletum, ad priſtinum ſuum candorem reuocauerit ac recreauerit, ut non minus illi quàm Varroni, Columellæ, Catoni, Plinio, cæterisq́; qui de liberalibus artibus conſcripſerunt, omnes latinè loquendi ſtudioſi debere uideantur. Quis ipſo uberius, quis certius, qui ſubtilius Græcam & Latinam tradit linguam? quis eſt qui utiliſsimos ac honeſtiſsimos eius labores carpat, niſi inuidum ſe aut ignarum & ſuperbum ac planè inhumanum confiterì uelit? Is enim unà cum Theodoro Gaza linguam Latinam locupletauit, ſermonem nobis reſtituit patrium, artes omneis deniq; liberales corruptas ac penitus euerſas ad priſtinam ſynceritatem & ueritatem reſtituit. Quorum quidem diſciplinis fatemur nos multum adiutos fuiſſe: quippe quòd Ariſtotelem & Theophraſtum à Theodoro, & Dioſcoridem ab Hermolao latinitate donatos ſecundum eorum interpretationem citauimus, quoniam ad uerbum ferè cum Plinio conuenire uidẽtur. nec alia quidem translatio ob uerborum conuenientiam erat cum Plinio conferenda. Nihil enim melius interpretes facere potuiſſent, quàm Plinij interpretationem imitari, ne inter authores in uerbis, quando non in ſententia, uariatio aliqua eſſe uideretur. Et qui meliorem eorum authorum interpretationem deſiderant, alias quæritent. nos enim his contenti ſumus, præſertim quum ſenſus eorum adeò clarè, adeò eleganter, adeoq́; intentionẽ ipſorum enucleauerint, ut quando authores ipſi Latinè conſcripſiſſent, neq; melius neque concinnius

tradere potuiſſent, quàm maximè Theodorus & Hermolaus. Si quis tamẽ in noſtra editione argueret, quòd humili facundia dictauerimus, age amabo quicunq; is fuerit, conſideret quòd non de arte oratoria (hoc forenſium eſt quæſtionum, non naturalium) ſed de uero cognoſcendo hic agitur & diſputatur. Nanq; in his ſcriptis in quibus rerum cognitio quæritur, nõ luculentæ orationis lepos, ſed incorrupta ueritas exprimẽda eſt. Hæc tamen omnia quoad potuimus ad plenam intelligentiam expoſuimus, atq; unicuiq; intelligentiam piſcium perquirenti, laborem omnem ſuſtulimus. quæcunq; enim uel à Plinio alibi uel alijs authoribus de eiſdem piſcibus pertractantur, in hoc uolumen collegimus, ut pro hac intelligenda materia ad alios authores non ſit amplius recurrendum: eas tantùm quæ ab ipſo Plinio libris inferioribus traduntur, medicinas piſcium relinquentes, ne uolumen in alterũ uolumen tranſcripſiſſe uideremur. nempe id facilè uidere quis poterit. Tu itaq; Rex clementiſſime, & (ut breuiter dicam) ad omnium gratiam promerendam naturæ beneficio comparatus, ut es uir literis, modeſtia, grauitate, prudẽtia, conſilio, iuſtitia, religione & pietate, omniq; laudum & humanitatis officio præditus, ad hanc lucubrationem noſtram animum intende, cognoſce, & iudica. nam ſi tibi cæteriſq; uiris doctiſſimis eam quidem approbari percipiemus, reliqua Plinij uolumina eodem modo, & accuratiori fortaſſe ſtudio ac diligentia, ſi diuina fauerint, perſequemur, præſertim in ſimplicium materia, in qua magis quàm in reliquis laborandum eſſe cenſemus, tum in plantis ipſis notificandis, tum etiam in aliorum erroribus confutandis, qui penè innumerabiles eſſe uidentur. Pleriq; enim è recẽtioribus ſunt qui cum maximo uitæ noſtræ diſcrimine in tradenda plantarum cognitione aliam pro alia confundentes capiunt. Quamobrem ſi ex tanta tenebrarum obſcuritate ueritatem extirpauerimus ac elucidauerimus, non minorem humanæ ſaluti pariter ac ſtudioſis utilitatẽ ac beneficium cõtuliſſe, quàm nobis ipſis laudem & gloriã uidebimur conſequuti. Quid enim laudabilius ex omni ſtudio, quàm ſuſcipere tam liberale tamq; laudabile munus renouandæ uetuſtatis, uel ab interitu potius uendicandæ? quo non modò uiuos nobis conciliamus, uerùm & mortuos reddimus obſtrictos beneficio ſempiterno: quod non poteſt eſſe non honeſtum, non ſplendidum, non magnificum. Cæterùm ſi hoc tuæ amplitudini haud ſatis dignum munus fore cenſueris, tibi obſequentiſſimi animum, non rem expendito. Vale, & inueteratam amicitiam noſtram ad ultimum uitæ calcem conſeruabis.

SCRIPTORVM ELENCHVS QVORVM
authoritate Maſſarius ſuis Annotationibus fidem adſtruit.

Aelianus
Agatharchides
Alexander Aetolus
Alexis
Ananius
Androſthenes
Antiphanes
Apollodorus
Apollonius Rhodius
Appion
Archelaus
Archeſtratus
Ariſtobolus
Ariſtophanes Byzantius
Ariſtophanes Comicus
Ariſtophon
Ariſtoteles
Athenæus
A.Gellius
Auſonius
Callimachus
Chryſippus
Clearchus
Clitarchus
Columella
Corinna
Corn.Celſus
Dioſcorides
Diphilus
Dorion
Duris
Epicharmus
Epimenides
Eratoſthenes
Eubulus
Eudoxus
Euthydemus
Feſtus Pompeius
Flauius Alphius
Galenus
Heracleon Epheſius
Herodotus
Hiceſius
Hippocrates
Homerus
Horatius
Iuba
Iuuenalis
Licinius Macer
Lucilius
Lynceus Samius
Martialis
M.Varro
Matron
Megaſthenes
Mnaſeas Patrenſis
Mneſitheus Athenienſis
Mœcenas
Nearchus
Nicander
Nicolaus Damaſcenus
Nicolaus Perottus
Nonius Marcellus
Numenius
Nymphodorus
Oppianus
Ouidius
Palladius
Pamphilus
Pancrates
Parmeno Rhodius
Paulus Aegineta
Pauſanias
Phililius
Philoſtratus
Philotimus
Phocion
Phrynichus
Plautus
Plinius
Polemon
Polybius
Polycharmus
Pomponius Mela
Pytheas
Simonides
Solinus
Sophron
Soſtratus
Speuſippus
Strabo
Suetonius
Teucer
Theocritus
Theognis
Theophraſtus
Timachidas
Virgilius.

FRANCISCI

FRANCISCI MASSARII CASTIGATIOnes & annotationes in nonum Plinij librum.

EX CAPITE II.

QVAE in mari maxima animalia.) Scribendũ, Quare in mari maxima animalia, ex uetuſtis codicibus. Non enim capite hoc quæ maxima in mari animalia, ſed cauſſam aßignat cur in mari ſint maxima animalia. Vuam) Vua piſcis eſt, ita appellatus, quòd botryonis, id eſt racemi uuæ ſimilitudinem habeat. Pleraq; enim (ut ait Plinius) mare producit ad ſimilitudinem eorum quæ in terra reperiuntur, quemadmodum intuentibus uuam, gladium, ſerras, licet intelligere. Gladium) Gladius, quem xiphiã Græci uocãt, crebrò Delphini magnitudinem excedit, ſalſamentis commendatißimus, à roſtri mucrone ita appellatus, quem aſilo agitari canis exortu Ariſtoteles octauo de hiſtoria tradidit. Habet enim per id tempus ſub pinna ceu uermiculum, quem aſilum uocant, effigie ſcorpionis, magnitudine aranei. infeſtat hoc tanto dolore, ut non minus interdum quàm Delphinus exiliat: unde fit ut uel in nauigia ſæpenumero incidat, quod & Plinius & Oppianus ferunt. Hunc piſcem Strabo galeotem quoq; uocat libro de ſitu orbis primo, ubi quemadmodum etiam capiatur, edocet, cuius etiã Plinius meminit lib. 32. cum dixit, Nihil eſt uenenatius uſquam q̃ in mari paſtinaca, utpote cum radio eius arbores necari dixerimus. hanc tamen perſequitur galeos, idem & alios quidem piſces, ſed paſtinacas præcipuè. Eſt etiã galeus ex Ariſtotele, quem Theodorus muſtellum interpretatus eſt, inter chartilagineos, qui in multas diuiditur ſpecies, in muſtellos ſcilicet, ſpinaces, & ſtellares & nebridas, hoc eſt, hinnulos & caniculas, & reliqua generis eiuſdem: qui omnes longi & aſperi ſunt. & flectitur galeus galei: ſed qui paſtinacam perſequitur, galeos galeotis. Nam & Oppianus trigona, id eſt paſtinacam: & xiphiam, hoc eſt gladiũ, ſiue galeotẽ, diras pugnas inter ſe committere ſecundo uolumine tradidit. quod quidem retulimus, ut errorem Sypontini, aliorũq; refelleremus. non enim galeus, hoc eſt muſtellus, ſequitur paſtinacam, & alios piſces, ut ait Plinius, cum ſit generale, non ſpeciale nomen, ut author eſt Ariſtoteles & Galenus: ſed galeos, quem xiphiam ſiue gladiũ uocari diximus, in hodiernũ diem Græcis xiphiam, & noſtris piſcem ſpatham cognominatũ. Quo minus miremur equorũ capita in tam paruis eminere cochleis) Cochlearum duo ſunt genera. Aliæ nanq; terreſtres, id eſt limaces, quas Græci cochlias & cochlia appellant, teſta clauiculatim intorta: quæ cum de teſta exerunt caput, quoniam oculis carent, bina cornicula prætentandi iter cauſſa prætendunt: quæ ſi quid obſtaculi reperiũt, reſiliunt: equinamq; ſeu potius bouinã effigiem præferunt: unde Veneti ab eiuſmodi imagine bubalos eas uocãt. Aliæ uerò marinæ ſunt, quas nunc intelligit, turbines alio nomine dictæ, quas Græci ſtrombos uocant. Aliter ſparſis non erat euadere: non uoce, non ſonitu, non ictu, ſed fragore terrentur &c.) Deeſt qui: proptérea legẽdum: aliter ſparſis non erat euadere, qui non uoce, non ſonitu, & reliqua. Si quis autem diceret, apud Strabonem legi & Arrianum, qui res geſtas Alexandri Magni condidit, beluas in Indico mari clamore ac tubarum ſonitu exterritas fuiſſe, quod contrariũ uidetur eſſe ei quod refert Plinius: dicendũ q. Plinius non beluis cetarijs uniuperis, ut Strabo

& Arrianus,ſed thynnis ouiperis hanc conſtantiã tantũmodo tribuit. Sunt enim cete apud Ariſtotelẽ piſces maximi,qui tantũ uiuiperi ſunt,non autẽ ouiperi.Verũ apud M. Varronẽ, & Paulum Aginetã piſces maximi,non modò qui uiuiperi,ſed etiam qui ouiperi, ut thunni ſunt,inter cetarios habẽtur, ut inferius liquebit. Cadara appellatur rubri maris peninſula ingens) Sic in uetuſtis codicibus ſcriptũ perlegi.hoc dico, quia in cæteris codicibus deeſt ingens. Gedroſi qui Arbin amnem accolunt &c.) Gedroſi cum fores maxillis beluarũ marinarum in domibus fieri,& tecta contignari præfecto claßium Magni Alexandri retuliſſent,non à Gedroſis ipſis hæc fieri,ſed ab Ichthyophagis populis,qui citra Gedroſos habitant,non procul ab eis,ex Diodoro,Arriano Straboneq; uidentur prodidiſſe. libro enim. 15. Ichthyophagorũ regio,inquit,ſecus mare eſt,& magna ex parte arboribus caret. raritas in ea palmarum,achanti,myricæ,aquarũ & domeſtici cibi maxima eſt. Veſcũtur piſcibus tum ipſi,tum eorum pecora,& aquas pluuiales foßiles potant,pecoribus carnes piſciũ præbent. domicilia ex oßibus cetorum,ſcilicet(ut Arrianus tradit)Balenarũ & oſtreorũ conchis magna ex parte faciũt.nam trabium & fulcrorum uſum coſtæ præſtant, portas maxillæ,uertebris fiunt mortaria,in quibus piſces ſubigũtur.ad ſolem aſſantur.poſtea ex his panẽ conficiunt, frumenti paululum admiſcentes. quos ſubactos Alexander Magnus iußit à piſcibus abſtinere, ut Plinius meminit lib.6. cum antea ſolis piſcibus alerentur, à quibus nomen habent.quod etiã confirmatur ex eodem Strabone inferius,ubi ait:Qui nunc in Indiam nauigant,beluarum quidem magnitudines referunt,quæ nec gregatim, nec ſæpius ſe offerant, ſed diſcedant clamore ac tubis repulſæ.dicunt eas terræ nequaq̃ appropinquare: oſſa uerò iam diſſolutarũ à fluctibus facilè eijci,& materiam faciendarum tegetũ Ichthyophagis ſuppeditare.Ichthyophagi ergo quoniã arboribus & lignis ex conſequenti carent,ex oßibus beluarum domicilia conſtruunt.Philoſtratus quoq; lib.3.inquit:Ichthyophagi urbem incolunt nomine Steiuram,ubi ex magnorũ piſcium membranis ueſtes intexunt: ibiq́; pecudes etiam eſſe piſciuoras,quòd ea comedant,quæ minimè naturæ ſuæ conueniant.Paſtores enim illas alere conſueuerunt,ſicut in Caria ficubus eaſdem paſcunt. Magnitudinem uerò harum beluarum, hoc eſt Balenarũ,Plinius quatuor iugerûm,id eſt nongentorũ ſexaginta pedum eſſe meminit. Ingens enim longitudo.240.pedum à Plinio.18.uolumine tradita eſt. Nearchus uerò uiginti trium paſſuum Balenarum magnitudinem conſtare tradidit, qui ex inſulis ante Euphratem cetum mari eiectum centum & quinquaginta cubitorum ſe uidiſſe refert.ſit hic Balena, uel priſtis,haud certè conſtat. Ex quibus multa quadragenûm cubitorũ longitudinis reperta) De horum oßium longitudine ſic Arrianus lib.8.inquit: Aliqua ex cetis ad littus appelluntur,cũ recedente æſtu in uadis hæſere.alia fluctu iactata quaſi naues tempeſtate uictæ in terram deferuntur.Ex quibus putrefactis oſſa ad domos ædificandas legunt:oſſa laterum grãdiora pro tabulis ſunt,minora pro aſſeribus,maxillarum oßibus pro portis utuntur, ex quibus multa quinq; & uiginti cubitos excedunt.

EX CAPITE IIII.

Maximum animal in Indico mari Priſtes & Balena eſt) De priſte belua marina non modò Ariſtoteles, ſed & Polichar mus, Athenæus, & Oppianus,ita à ſectione undarum appellato.ſcindit enim mirum in modum fluctus propter tenuitatem. conſtat namq; longißimo ſed anguſto corpore, nam ducenûm cubitorum longitudinis in mari Indico Plinius reperiri ſcribit,.

ſcribit, à cuius quoque forma nauigij quoddam genus longi corporis & anguſti priſtis appellatur. Virgilius *lib. 5.*

Velocem Mneſtheus agit acri remige priſtim.

Phyſeter) Phyſeter marina belua à nauigantibus ſæpenumero uiſa eſt in ſublime ſe adeo attollens, & diluuiem aquarum eructans, ut nebuloſæ cuiuſdam columnæ ſimilitudo longe cernentibus offeratur. dictus phyſeter quaſi flator, ut Hermolaus Barbarus *conuertit, quòd nimboſam quandam alluuiem aquarũ efflando emittat, ut plerunq; etiam alueos nauigantiũ deprimat, de quo* Solinus *&* Strabo, *quem etiã* Arrianus *etſi non nominat, ex* Strabone *intellexiſſe uidetur.* Scribit Nearchus *cum in* Arabicum *ſinum nauigaſſet, phyſeteres aliquãdo uidiſſe fluctus maximos & accumulatos eructantes, ac caliginem tantam reflationibus excitãtes, ut qui in nauibus erant, attonitis ſimiles conſtiterint, ignari quænã tantæ molis cauſſa eſſet: cumq; edocti fuiſſent à nauigationis ducibus, beluas eſſe, quæ facilè tubarum ſonitu ac plauſu exaudito diſcederent, iuſsit naues aduerſis proris ueluti in naualı certamine contra beluarum corpora inferre, atq; ingenti ſtrepitu remos impellere, paruoq; interuallo diſiunctos nauigare: cumq; beluis appropinquarent, uociferatus quãmaximos in cœlum edere, tubaq; canere. quod cum ſtrenue feciſſent, cetéq; iam appropinquare nauibus uidebãtur, ingẽti ſono ſtrepituq; conterrita ſeſe in profundum merſiſſe: eaq; paulò pòſt cum ex aquis emerſiſſent, certamen à puppi minabantur, undarum cumulos uomitantia.* Verùm *ubi multiplicem plauſum nauticæ copiæ dediſſent, ſubito ceſſauere, uehementerq; laudata fuit* Nearchi *prudentia.* Iuba *uerò in ijs uoluminibus quæ ſcripſit ad* Caium Cæſarem Auguſti *filium de* Arabia, *referens cetos ſexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum ſexaginta latitudinis, in flumen* Arabiæ *intraſſe, pinguique eius negociatores & omnium piſcium adipe camelos perungi in eo ſitu, ut aſilos ab ijs fugent odore: phyſeterés ne intellexerit, in incerto eſt.*

In Gaditano *oceano arbor in tãtum uaſtis diſpanſa ramis &c.) De belua arbore à nullo ferè alio authore quicquam relatum percepi: ab alijs fortaſſe authoribus, quos nunc non habemus,* Plinius *excerpſit.* De Gaditana *uerò arbore, planta maxima,* Strabo *meminit lib. 3. & de alijs marinis etiam arboribus* Plinius *lib. 13. &* Theophraſtus *libro de hiſtoria plantarum. 4.* Rotæ) *Et hæ quoq; ſunt beluæ maximæ, à ſimilitudine rotarum appellatæ.*

EX CAPITE V.

Tritonem) *Ex his uerbis uidetur fabulam à uera hiſtoria originem duxiſſe.* Tritonem *poëtæ deſcribunt corpore hiſpido, à capiteq; uſq; ad ima latera hominem repræſentante, ac exinde in caudam oblongam deficiente, & in extremitate lunatam ſeu bifurcatam, ut* Apollonius *in* Argonauticis *tradit, concha ea canentem qua & homines canere ſolent, turbinata, oblonga, clauiculatimq; intorta, quam buccinam uocamus.* Pauſanias *uerò* Tritonem *uidiſſe meminit* Romæ, *capite ſpecie comoſo, ut ranis paluſtribus etiam colore, ne diſcerni tamen capillus à capillo queat, ſed corpore ſquammoſo, forma ueluti ſquatinæ, brãchijs ſub aures, naſo hominis, ore ampliore, dẽtibus ferinis, oculis glaucis, manibus digitis & unguibus conchularum teſtis ſimilibus, cauda ſubtus aluum uice pedum, ut* Delphini. *Eſt & triton pelamidum generis magnus, ſine ſquammis, orcino ſimilis, ex* Plinio *ſecundo & triceſimo uolumine, quẽ* Græci *chelidoniam appellant, ex* Athenæo. Nereidum *falſa opinio non eſt)* Plinio *aſtipulari quid uetet, cũ plerią; nauigãtes referãt uidiſſe piſces humana effigie, ſquãmis*

duntaxat hiſpido corpore exanimes in littus eiectos. quæ deſcriptio cum ea quæ Nereidum eſt, ſatis conuenire uidetur. Elephantos & arietes candore tantum cornibus aſsimilatis) *Scribendum aſsimulatis. Quoniam autem de ambabus beluis, ſcilicet elephantis & arietibus ſimul loquitur, dentes elephāti marini Plinius hic cornua uidetur appellaſſe, ne ſi dentes dixiſſet, arietes, de quorū cornibus non dentibus ſermo eſt, ab appellatione cornuū excluſiſſe uideretur. Nam ſi dentes elephantorum dixiſſet, opus fuiſset arietum quoq; cornua expreſſiſſet: ſed tolerabilius Plinio uiſum utriſq; animalibus ſeruiendo cornua appellare. nam authores ſunt, ut Iuba & Pauſanias, qui dentes elephanti cornua appellarunt. quod alibi etiam hac de cauſſa feciſſe uidetur dentes elephanti cornua improprie nuncupando, ut lib. 18. quādo ait, Atq; cum in arbores exacuant limentq; cornua elephanti, & duro ſaxo rhinocerotes. ne ſi dentes elephanti dixiſſet, rhinocerotes, quòd cornua non dentes exacuunt, ſimiliter excluſiſſet. Sed quando de ſolis elephantis loquitur, dentes propriè appellat, ut lib. 8. ubi Iubam taxando, & Herodotum imitando, melius eſſe dentes quàm cornua monuit appellandos. Dentes quoq; Ariſtoteles ſecundo de hiſtoria appellauit, & tertio de partibus animalium elephanto cornua à natura eſſe negata dixit, quòd magnitudinis ipſius exuperātia ad necem arcendam ſufficeret. Sit ergo ſenſus: cornua harum beluarū, hoc eſt elephantorum & arietum, non in effigie ſiue forma, ſed in candore tātum inter ſe ſimilia ſunt. utraq; enim cornua eboris candorem præferūt. ex quo facilè redarguuntur qui elephātos marinos candidā promuſcidem habere prodiderūt. Poſſes & aliter interpretari, ut cornua harum beluarum non eodem modo quo diximus, aſsimulata à Plinio fuiſſe credas, ſed quòd cornua elephanti marini ſint candore ſimilia cornibus ſiue dentibus elephanti terreſtris: & ea quæ ſunt marini arietis, ſint cornibus arietis quadrupedis cādore ſimilia. arietis nanq; quadrupedis cornua ſunt magna ex parte candida. Sunt & alij marini elephāti locuſtarū generis nigri, pedibus quaternis, biſulcis: præterea brachia duo binis articulis ſingulisq; forficulis denticulatis, ex Plinio. 32. uolumine. Aries uerò graſſatur ut latro, ex Plinio hoc libro, & modò grādium nauium in ſalo ſtantium occultatus umbra, ſi quem nandi uoluptas inuitet, expectat: modò elato extra aquam capite, piſcantium cymbas ſpeculatur, occultusq; adnatans mergit. Et alij piſcium forma arietes ſunt, ex Plinio eodem. 32. uolumine.*

EX CAPITE VI.

Balenæ) *Sunt balenæ, quas Græci phalænas uocāt, è cetariorū genere grandes, ſed in Indico mari grādiſsimæ, quatuor iugerûm, hoc eſt nongētorū ſexaginta pedū longitudinis. brāchijs carēt, ſed fiſtulā ſui pulmonis cauſſa continēt, qua humorē quē ī ore acceperīt, reſpuāt: nam & humorē admitti neceſſe eſt, cū cibū in aqua ſubmerſum capiant: & admiſſum emitti neceſſe eſt. nam brāchiæ ijs quæ ſpirāt, incommodæ habētur. haud enim fieri poteſt, ut idem & brāchias habeat, & ſpiret. ſedenim ijs ad reſpuendā aquā fiſtula data eſt, quæ ante cerebrū ſita eſt, ne poſtpoſita id interciperetur à ſpina, editaq; per ſumma æquoris fiſtula dormiūt & ſpirāt, pinnas ſuas mouēdo leuiter. Cauſſa uerò cur pulmonē hæc habeāt & ſpirēt, quia maiora animalia plus caloris ſibi requirūt, ut poſsint moueri, quapropter pulmo ijs īditus eſt plenus caloris ſanguinei. Sunt hæc quodāmodo & terreſtria & aquatilia. ut enim aërem terreſtriū more trahūt, ſic pedibus uacāt, & cibū in humore modo aquatiliū capiūt, quæ & ſupinè corripiūt, & intra ſe generant, perfectumq; animal pariunt: mammas habēt & lac,*

catulosq;

catulosq́; interdum binos nutriũt. Hoc ſcire orcas infeſtam his beluam) Orca & ipſa ma-
rina belua eſt, magnitudinis immenſæ: quæ fluctum quoq; aquarum, ut phyſeter, adeò in altũ
reflat, ut perinde ac fumus eiaculantis bombardæ, pcul ſpectantibus eſſe uideatur. Sunt enim
qui marinas orcas à Strabone origas uocari rentur. ſuam tamen cuiq; exiſtimationem relin-
quo. Ad cuius item beluæ ſimilitudinem uaſa uinaria & olearia orcæ dicũtur. ſunt enim te-
retes, atq; amphoræ ſpecie. Nã Probus in illo Perſij uerſu: Anguſtæ collo non fallier orcæ,
interpretatur amphoræ ſpecie. Item ſalgamariũ, ut in quo fici quoq;, ut Plinius inquit, aſſer-
uabantur. Item ſalmẽtarium, hoc eſt ſalſamentarium. Ac uitulos earum) Vitulos, id eſt ca-
tulos. Vitulus nanq; non modo ex bobus genitus, ſed etiã ex cæteris quadrupedibus maiori-
bus dicitur. Plinius lib. 8. de elephantis, Atque ita ſalutato ſydere in ſyluas reuertuntur, uitu-
lorum fatigatos præferentes. tum etiam ex piſcibus, ut hoc loco. Sed magis propriè catulos
q̄ uitulos legeretur. Nam Plinius hoc libro de Delphinis: agunt, inquit, uerè coniugia, pariũt
catulos decimo menſe æſtiuo tempore. ut catulus tam de piſcibus animal parientibus, ut ba-
lenis Delphinisq́; & huiuſmodi, q̄ de quadrupedibus uiuiperis, ut leonibus & urſis, & alijs
q̄plurimis, ac etiã ſerpẽtibus dicatur, exceptis ceruis, capreisq́; ac damis, cæterisq́; ſimilibus,
quorũ fœtus hinnuli propriè uocantur. Verũ de equis, aſinis, atq; etiam oua pariẽtibus pulli
appellantur. Vel etiamnum grauidas lacerant morſu) Legendum, lancinant morſu, ex ue-
tuſtis codicibus. & quanq̄ lacerant legi etiã poteſt, magis tamen placet lancinãt: utriq; enim
orationi, & antecedenti & ſubſequenti ſubſeruiret. ſequitur nanq;, incurſuq́; ceu liburnicarũ
roſtris fodiunt. hoc eſt, aduerſus eas cum impetu incurrentes, roſtrorum nauium modo per-
forant ac penetrant: quod lancinare propriè eſt, quo uerbo Seneca etiam utitur. Et cautiũ
anguſtijs trucidare) Quidam male corrigunt incautas, cum cautiũ anguſtijs legendum ſine
dubio ſit, hoc eſt ſaxorũ anguſtijs. propriè enim cautes dicitur ſaxum aſperũ atq; abruptũ.
Orca igitur cum uult balenis occurrere, anguſtijs ſaxorũ quibus permeaturæ ſunt, ſeſe op-
ponit. De pugna harum beluarum lege Oppianũ lib. 5. Ora balenæ habẽt in frontibus) Per
ora Plinius intelligit fiſtulas, quas balenæ, uti retulimus, habent à fronte, quod & ſequentia
indicant: non autem ora quibus deuorant. ea nanq; non à fronte, ſed ſubter habent, ex Ari-
ſtotele. 8. de hiſtoria. Cæteris, inquit, piſcibus captura minorum à fronte agitur ore, ut ſolent
meare. At chartilaginei & Delphini & omnes cetacei generis reſupinati corripiunt: habẽt
enim os ſubter, unde fit ut periculum minores facilius poſſint euadere. Quòd autẽ Balena ſit
cetacei generis, conſtat ex ipſo Ariſtotele libro. 3. de hiſtoria, dicente: Cete etiam in aquatili
genere, ut Delphinus, Vitulus marinus, Balena. Hæc enim mammas habent & lac. & lib. 6.
Delphini, inquit, Balenæ, & reliqua cete quæ non branchias ſed fiſtulam habent, animal ge-
nerant. & quarto etiam de partibus animalium, ubi ait: Delphini, Balenæ, & reliquum ceta-
rium genus branchijs carent.

EX CAPITE VII.

In aquas quidem penetrare hunc uitalem halitum quis miretur? qui etiam reddi ab his
cum cernat) Vitalem auram in aquas penetrare non aliter contingere poteſt, quàm uelut aër
qui cum pondere aliquo delapſo deſcẽderit, mox ſeſe referens, undamq; ſurſum compellens,
bullas excitet: quippe cum bulla humore conſtet, qui de imis ad ſupera pulſus ab aëre effi-
ratur. omnis autem bulla leuis ſerenáque eſt, quod. 23. ſectione problematum, problemate

quarto Ariſtoteles probat: uel quòd uapores propter ſolis abſtractionem ex terra ſubdita mari,uel ex aliqua alia parte terræ cauernoſæ tranſcurrētes exhalant: ut dicere neceſſe ſit, auram aliquam ſub aqua remanere non poſſe, & ſiqua ex cauſſa prædicta oriatur, ſtatim aſcendere. Et in terras tanto quoq; ſpißiorem naturæ partem penetrare,argumento animalium quæ ſemper defoſſa uiuunt,ceu talpæ?) *Dico quòd in terram quæ poroſa cauernoſaq; ac ſiccior eſt,aër melius penetrare poteſt,q̃ in aquā,quæ fluxibilis,& quæ facilè reduci ad unitatem poteſt.Nam ſi baculum in aquā demerſeris,extraxeriſue,foramen non permanebit,quoniā ſtatim aqua reſurget,& circundanti aquæ æquiparabit. ſed ſi in terrā infixeris ſubtraxeriſq;,foramen utiq; permanebit,quod replebitur aëre: & ſic talpæ quæ aſpirant,cum terram per cauernulas ſubeāt,defoſſæ uitam degere facilè poſſunt,quòd ſub terra ſpirandi facultas eis non adimatur.* Ipſorum quoq; qui ſunt in aduerſa opinione, de ſomno piſcium confeßio. Quis enim ſine reſpiratione ſomno locus?) *Iam traditum eſt, piſces ſub aqua ubi non eſt aër,ſpiritum trahere non poſſe.ſed dormire piſces,tum qui ſpirant,tum qui non ſpirāt,non eſt opus probare,quum ipſe Plinius & hic,& lib.11.ex Ariſtotele fateatur. dormire tamen piſces abſq; eo quòd reſpirent,nihil eſt quod impediat.nam ſi ſine reſpiratione uigilant,cur dormire etiā ſine reſpiratione nequeant? quemadmodum inſecta animalia quæ & uigilant & dormiunt,nec tamen ſpirāt.quod cum Plinius lib.11. negauerit,probandum eſt.Credidit enim ipſe inſecta animalia,pulmone quanuis carentia, ſpiritum trahere,ac reddere per uices poſſe,argumēto, quoniam inſectorum genera multa ſunt quæ & murmur edere,ut apes,& canere uidentur,ut cicadæ.Item culices muſcasq; etiam ſonum elidere ſentimus,quæ niſi arriperent halitum, bombum illum non ederent. Adde etiam hæc animalia olfactu prædita eſſe,quod effici non niſi ex aëris materia poteſt: odorem quidem non aliud quàm infectum aera intelligere poſſumus.Cur igitur non ſpirare magis hæc quàm ſpirare cenſendum eſt? Quæ quidem argumēta confutare quoq; oportet.Dicendum ergo quòd inſecta neq; ſpirant,neq; ſpirare neceſſum eſt,quoniā ſpirandi facultas refrigerādi gratia conceſſa eſt animantibus quæ pulmone compotes ſunt:inſecta autē quum exanguia ſint,frigida ſunt,ideo refrigeratione non indigent:quippe quæ ſuo natiuo ſpiritu,uel extrinſecus aëre ſatis refrigerari poſſunt. quamobrem ijs pulmo deeſt:qui quidem(uti retulimus) non niſi ſpirandi gratia delegatus eſt. Quæ autem ſpirant,pulmonem habent,& hæc calidiora omnino ſunt,quia ſanguine prædita ſunt.Sanguinis enim copia,caloris indicium eſt, quā ob cauſſam refrigeratione maximè indigent.Item ſi ſpirarent,neceſſario ſpiritū redderent. Aër autē per inſpirationem attractus non exiret,niſi ab aliquo interiore uiſcere propulſaretur. Spiritus extra redditus,eſt aër percuſſus ab interiore inſtrumento,hoc eſt pulmone. Verùm ſecūdum Ariſtotelem inſecta omnia uiſceribus carent,quod neq; Plinius ipſe negauit. ergo deficientibus inſtrumentis per quæ expellitur aër, inſecta nequeunt reſpirare. Quam ob rem contra Pliniū haud temere audeo dicere,ut magis uideā cauſſam quur potius nequeant trahere ſpiritū talia & uiuere,q̃ ſpirare ſine uiſceribus,licet ipſe cauſſam ſe ignorare fateatur.His autem præhabitis reſpondendū ad rationes Plinij,& primò ad eam ſcillicet,q. apes & muſcas murmur edere ſentimus &c. Dicendum quòd ſonus ille non anima,aut ſpiritum reddentibus ullis uiſceribus,ſed agitatu interioris ſpiritus accidit.ea enim quæ canere uidētur, ut cicadæ, membrana ſepto tranſuerſo ſubdita,ad quam ſpiritus in eo incluſus atteritur,obſtrepunt. Ad*

eam uerò

eam uerò quam dicit quòd inſecta poſſent ſpirare ſine uiſceribus, dicendum quòd repugnaret naturæ ſi genus inſectorum halitum traherent: quia cum exanguia & frigida hæc ſint, dubio procul nimia refrigeratione citius interirēt. Itaq; natura tuto conſulens ijs potius ſpirandi uſum negauit, ut diutius conſeruarentur. Item ſi reſpirandi uſum natura ijs tribuiſſet, non alia de cauſſa feciſſet, niſi quia calidiora hæc eſſent. calida enim exigunt refrigerari, frigida minimè. inſecta frigida ſunt. Ad quid ergo natura tam pretioſum hoc ſpirandi munus ijs animantibus non indigentibus incaßum indidiſſet, cum omnia quæ natura efficiuntur, non fruſtra ſed ratione aliqua ſint? Semper enim natura rei melioris author eſt, quoad eius fieri poteſt. cuius rei indiciū afferri poteſt, quòd muſcæ & apes ſi ſubter aquā diu non ualde calidam aut frigidam teneantur, exanimari uidentur: & cum morā contraxerint, in cinere reſurgunt & reuiuiſcunt: cuius rei cauſſa eſt, quòd ſpiritus interior ob humiditatē penetrantē quaſi corrūpitur, & quaſi enecatur, qui poſtea cū cinere condūtur hæc animalia, conſumpto humido calore cinerū ſuſcitatur. Ex quo apparet exanimationē illā, non quia inſpirare non poterant, ſed ob eam quā reddidimus cauſſam accidiſſe. Nam ſi ſpirandi ineſſet facultas, & ſubter aquā diu permanerent, adeo ſuffocarentur, ut ne amplius quidem reuiuiſcerent. Ad id autem quòd dicit, quod inſecta animalia ſpirare uideantur, eo quòd ſentiant odorē: dicendum quòd ſanguineis ſenſoriū odorandi diuerſum eſt ab eo quod in inſectis eſt. inſecta enim (quoniam odoratus ſine operculo eſt) natiuo ſpiritu ſui corporis odorantur, qui quidem ſpiritus in omnibus ex natura inſitus eſt, non aduentitius accedit. Ea autem quæ halitum trahunt & reddunt, quibus certè hoc odorādi ſenſorium operculo quodam coopertū eſt, niſi operculum illud per inſpirationem aperiatur, odores non ſentiunt: ſicut animalium quorundam oculi, genis & palpebris, ceu uallo quodam uiſus munimentóque prominente, eóque niſi nictentur, aut conniueant, cernere non poßint: quorundam ſunt oculi præduri, & qui hoc genere operculi & folliculi careant, proindéque exerti ſint, ſed ſtatim ſine diductu aliquo incidentia & occurſantia contuentur: ita odoratus inſectis promptus atq; expoſitus ſine operculo eſt, ut uiſus duros oculos habentibus, unde munere eo ſine naribus & olfactione funguntur: reſpirantibus adopertus, ac operculo conditus: qui odoratus cum halamus, adaperitur panditúrque ampliatis uenarum meatuumq; itineribus. hinc euenit ut quæ ſpirant, odorem in aqua non ſentiant, quoniam reſpirare non poſſunt. quamobrem cum meatus illi in humore patefieri nequeant, ſumma ratio eſt ut urinantes in eo odorari non poßint. ergo ſi quis diligenti ſubtilitate id exigat, reſpiratio non eſt cauſſa odorandi, neque debiſcentia palpebrarum uidendi, ſed adaperiendi meatus qui odoratui obſeruit. De ijs autem quæ retulimus, in ſecundo de anima, & libro de ſenſibus Ariſtoteles uberius diſſerit. Quòd autem inſecta dormiant, cum Plinius ipſe lib. 11. apes à bruma ad arcturi exortum diebus ſexaginta ſomno ali ſine ullo cibo faſſus ſit, non eſt opus probare. Quare cum inſecta uigilare & dormire ſine reſpiratione conſtet, ſic etiam piſces abſque eo quòd reſpirent, uigilare & dormire poterunt. Præterea bullantium aquarum ſufflatio, lunæq; effectu concharum quoque corpora augeſcentia) *Aquarum ſufflationes unde proueniant, ſuperius indicauimus. quod autem concharum ſpondyli ſeu corpora in plenilunio incrementū ſuſcipiāt, nihil ad rem attinet, cum non ex reſpiratione aliqua, ſed quoniā pingueſcant, talis effectus producatur: id quod etiam de Cancris Plinius aſſerere uidetur ex Ariſtotele de partibus animalium lib. 4.*

ubi ait: Laborant teſtata omnia per frigus & æſtum, atq; exuperantiam temporis pati nequeunt.argumento eſt quod echinis euenit.habēt enim id quod ouum appellant, iam ab ortu naturæ & pleniluniјs uberius,non quia per id tempus copioſius paſcuntur (ut quidam putant)ſed quòd noctes tepidiores ſint propter lucem pleniorē.Calorem enim deſiderāt,quoniam frigori patent,utpote quæ ſanguine careant:ex quo fit ut æſtate potius ubiq; uigeant, præterq̄ in Pyrrenſi euripo.nam ibi non minus tempore hyberno probātur:cuius rei cauſſa eſt,quòd tunc uberius pabulentur,cum piſces per id tempus ea loca relinquant. quod quinto etiā de hiſtoria retulerat. Super omnia eſſe auditum & odoratum piſcibus, non erit dubiū, ex aëris utrunq; materia.odorem quidem non aliud q̄ infectum aëra intelligi poſſe) Audire piſces palam eſt aquæ interuallo.eſt enim aqua interuallum auditui eorum,ſicuti aër auditui terreſtrium,ut traditur ab Ariſtotele ſecundo de anima. nulla tamen pars eis eſt manifeſta, quæ ſenſum miniſtret audiendi.ſonos enim immodicos, ut triremiū remigia fugere uiſuntur. Itaq; fit ut facilè intra ſua ſtabula capiantur. Nam etſi externus ſtrepitus paruus eſt,iјs tamen qui demerſum in humore ſuum auditū habent,æque omnibus ingens,moleſtus, grauiſq; occurrit,quod certe uel in Delphinorum captura euenit.cum enim piſcatores repente alueis uniuerſis circundederint gregem Delphinorum,inde obſtrepentes in mare efficiūt, ut territi erumpant uniuerſi in littora,capianturq; tentato grauatoq; capite præ ſtrepitus inflicti nimietate.Olfactus quoque ſimilis intelligitur ratio: & quum partem nullam ſenſariam habeant manifeſtam,tamen ſagaciter odorantur.nam procul ſentiunt in aqua,argumento quòd piſces nonnulli eſcam putridam è longinquo feſtinātes irrumpunt,non tamen aëris,ſed aquæ interuallo.neque enim odor aër tantum infectus intelligitur,cum etiam aqua infecta intelligi poſſit.Hæc uolui in medium attuliſſe,ne quis legendo me quoque in ſententiam huiuſmodi à ueritate penitus declinantem deſcendiſſe putet.

EX CAPITE VIII.

Velociſſimum omnium animalium non ſolum marinorum Delphinus,ſed ocyor uolucre, acrior telo, & c.) Delphini piſces ſunt è cetariorum genere, ubique magni præterquam in Ponto.ſed longe maiores iјs qui noſtris maribus ſunt,ſe uidiſſe Nearchus refert, cū è Meſſambria in Taorum annauigaſſet,qui non ſquammis, ſed corio intecti ſunt:nec brāchias ſed fiſtulam ſui pulmonis cauſſa continent à dorſo,ut reſpirent.Quam ob rem Delphini retibus apprehenſi breui tempore ſtrangulantur,ut qui ſpirādi facultatem amiſerint: & foris uero diutius uiuere poſſunt,mutiētes & anhelantes modo cæterorum ſpirantium.Quinetiā dormientes roſtrum exerunt ſupra mare,ut ſpirent.& quidem uiſus Delphinus eſt dormire roſtro emerſo,ac ſtertere.habent hi quidem pulmonem ſpirādi officio delegatum, qui originem quidem ſui motus accipit ex corde,ſed ſua tum amplitudine,tum inanitate aditū ſpiritui patefacit.cū enim attollitur,influit ſpiritus:cum contrahitur,effluit: & inter ea quæ mare excipiunt,pulmonemq; habent, Delphinus unus felle priuatus eſt. Carent Delphini auriculis, & tamen audiunt,ut ſuperius indicauimus,ſed nullis cauernis quæ uicem præſtent aurium. oſſa habent,non ſpinas,quos amiæ piſces dira inimicitia proſequuntur,ut Oppianus meminit.Amnes quoque ſubeunt,præcipuè Nilum,ut Ariſtobolus,Plinius & Solinus ferunt. Ac niſi multū infra roſtrum os illi foret,medio penè in uentre,nullus piſciū celeritatē eius euaderet:ſed affert moram prouidentia naturæ,quia niſi reſupini atq; conuerſi non corripiunt,

quæ cauſſa

quæ cauſſa præcipuè uelocitatem eorum offendit.)Plinius hæc omnia ab Ariſtotele octauo de hiſtoria, & quarto de partibus animaliũ mutuatus eſt. Os, inquit, infra parte ſupina delphini habent, quam ob rem hi niſi conuerſi reſupinentur, cibum corripere nequeunt. quod natura non modo ſalutis gratia cæterorum piſcium feciſſe uidetur (dum enim ſeſe iſti conuertunt, mora intercedit, qua piſcis quem inſectantur, euadere poſſit, alioquin pauci admodũ ſeruarentur: quippe cum delphini celeritas, atq; edendi facultas mira eſſe uideatur) uerum etiam ne nimis ſuam deuorandi auiditatem explerent, cum enim facilius caperent, breui per immodicam ſatietatem perirent: quoniam etiam cum roſtrum eorum ſtructura tereti ac tenui ſit, facilè ſcindi in oris habitum non poteſt. Nam cum fame concitati fugientem in uada ima perſecuti piſcem, diutius ſpiritum continuere, ut arcu emiſſi ad reſpirandũ emicant: tantáque ui exiliunt, ut plerunque uela nauium tranſuolent uento euntium.)Hæc omnia aſſumpta eſſe uidentur ex Ariſtotele nono de hiſtoria, ubi ait: Quinetiam de uelocitate huius animalis mira & incredibilia quædam accepimus. omniũ enim uelociſſimum eſſe creditur animalium, tum aquatilium, tum terreſtrium. ſuperſiliunt etiam malos nauigiorum maiorum: quod tunc potiſſimum euenit, cum aliquem inſectantur piſcem, quem deuorent. tunc enim ſi quem impetunt, longius fugit, ad ima gurgitum perſequuntur propter famis neceſſitatem: quod ſi reditus longior ſit, retinent ſeſe quaſi ſpatiũ cogitantes: conuerſiq; feruntur perinde ac ſagitta pernices, ut celeritate opportuna longo tranſmiſſo itinere ad locum ſpirandi deueniant: quo impetu fit, ut ſe eiaculentur in aerem, & ſuperſiliant malos nauigiorum quæ forte affuerint. hoc idem urinatores faciunt, cum ſe in profundum demiſerunt: pro uiribus enim conuerſi enixius efferuntur ut ſpirent. Quod autem Plinius uela nauium, Ariſtoteles malos nauigiorum dixit. Præterea uento non eſt legendum, neque euntium, neque iuncti, ut Hermolaus legendum monuit, ſed tranſuolent ſaltu, ut in uetuſtiſſimo quodam codice legitur, ut infrà quoque meminit Plinius. Nam cum dixerit, Agunt uere coniugia: uidetur ſuperfluo additum eſſe iuncti. Ariſtoteles uerò eodem loco ait: Degunt coniugatim mares cum fœminis &c. Coeunt Delphini admotis inuicẽ partibus ſupinis. genitale habent intus, partiq; priori teſtes commiſſi ſunt, iuxta aluum conditi. Pariunt catulos decimo menſe &c.) Hæc omnia ſumpta ſunt ex Ariſtotele 5. de hiſtoria, ubi ait: Delphini animal generant, quemadmodum homo, & quadrupedes quæ animal pariunt, & ſingulos catulos magna ex parte edunt, interdum tamen & binos: balenæ uel binos cum plurimum, magnáque ex parte ſingulos procreant. lac habent quo ſuos nutriunt fœtus, geſtantq; eoſdẽ infirmos infantia. adoleſcit celerius proles Delphini, quippe quæ annis decem ad ſummam perueniat magnitudinem. geſtatur utero decem menſibus. partus Delphinis æſtate, nec ullo tempore alio. Adultos etiam fœtus diu comitãtur. magna erga gnatos charitas in hoc animali eſt. Viuit annis compluribus. Conſtitit enim nonnullos uixiſſe annos uiginti quinque, alios etiam triginta: quod cognitum eſt præciſa à piſcatoribus cauda, ut quos ita reddidiſſent mari, captos item agnoſcerent, & temporis ſpatium ſcirent. mammas etiam habent. animal enim (uti retulimus) concipiunt illico & creant. continent hi ſuas mammas non parte ſuperiore, ſed prope genitale: nec modo quadrupedum papillas conſpicuas habẽt, ſed uelut alueos quoſdã humoris duos, utroque de latere ſingularem: è quibus lac fluit, quod ore catulorum ſectantium parentem excipiatur, idq; non à nonnullis perſpectum eſt. Abduntur tricenis diebus circa canis ortũ,

occultanturq́; incognito modo.)Hoc idem ex eodem loco accepit.ubi tamen intelligendum
eſt Delphinos occultari non ſub aqua,ut Plinius exiſtimaſſe uidetur,quoniam ſic aerem tra-
here non poſſent:ſed in aliquo loco uelut in ſpecu,uel in cauerna, quæ uel in littore, uel in
ſcopulis ſunt,ut & in aqua degere,& aerem ſpirare ſecundum naturam poßint, quemad-
modum faciunt uituli marini,qui cauernas maritimas ſubire ſolent.aliter non eſt credendum
Delphinos abſque aeris reſpiratione occultari. Solent in terram erumpere incerta de cauſ-
ſa.)Ariſtoteles nono de hiſtoria,de Delphinis quæritur,inquit,quam ob rem in terrã erum-
pant.hoc enim interdum eos facere incerta de cauſſa dicitur. Lingua eſt his contra natu-
ram aquatilium mobilis,breuis atque lata,haud differens ſuillæ.)Ariſtoteles quarto de hi-
ſtoria uidetur negare Delphinos habere linguam mobilem,cum dixit:Delphinus item ſtri-
det,ac mutit,efferens ſe in aerem,ſed non quemadmodum ea quæ ſuperius enumeraui. hic
enim & pulmonem & arteriam habet,proindeq́; nonnihil uocis poteſt promouere: lingua
tamen libera abſolutáque caret,& labris quibus uocis aliquem poßit articulum afforma-
re. Diuo autem Auguſto principe Lucrinũ lacum inuectus,pauperis cuiuſdam puerum ex
Baiano Puteolos in ludum literarium itantem &c.) Hæc non modo à Mecœnate & Fla-
uiano & Flauio Alfio,ſed præter ipſos ab Appione Aegyptiacorum libro quinto tradita
eße uidentur,ubi de uiſu loquens ſic ſcriptum reliquit:Et quidem nos uidimus apud Puteo-
los Delphinum amantem miré puerum,à quo Simon uocatus,uenire ad eum ſolebat:& pin-
næ aculeos uelut uagina condens,ne dilectum ſibi corpus laceraret, præbebat aſcẽſuro dor-
ſum:receptumq́; equitis modo inſidentem per magnum æquor ad triginta feré paſſuum mil
lia deferebat:ad quod ſpectaculum Roma atq; omnis Italia concurrebat, ut piſcẽ per amo-
rem uenereum uehentem puerum aſpectaret.Poſtea uerò quũ idem ille puer Delphino ama-
tus morbo periſſet,Delphinum ſæpe ad ſolitum littus adnare uiſum:ubi poſtquam puerum
qui in primo uado aduẽtum eius opperiri conſueuerat,nuſquam uidit,deſiderio contabuiſſe,
& ipſum quoque eſſe exanimatum,ac in pueri ſepulchro ab his qui rem cognouerant,hu-
matum.Delphinos uenereos eſſe, & amatores puerorum,non ſolum Ariſtoteles,ſed &
Theophraſtus,Duris,Athenæus,Aelianus,Oppianus & Gellius literis mandauere. Ante
hæc ſimilia de puero in Iaſſo urbe memorãtur.)Duris author eſt à Delphino in Iaſſo ama-
tum puerum,ac per mare uectum: cui quidem puero nomẽ Potero fuiſſe ſcribit Athenæus li
bro quartodecimo. Eadem Amphilochij & Tarentini de pueris Delphiniſque narrant.)
Ariſtoteles libro nono: In marino etiam genere,inquit, plurima de Delphinis narrantur in-
dicia morum placidorum ac mitium.amores quoq; in pueros,& affectus libidinis cum cir-
ca Tarentum & Cariam,tum etiam locis alijs referunt.ubi rem non aliter expreßit. Quæ
faciunt ut credatur Arionem &c.) Arion nobilis citharœdus fuit,ex inſula Leſbo,oppido
Methymna,Periãdro Corinthiorũ regi percharus artis gratia,ut ſcribit Herodotus & Op
pianus. Capto à rege Cariæ,alligatoq́; in portu Delphino &c.) Idem Ariſtoteles nono de
hiſtoria:Fertur,inquit,etiam Delphino apud Cariam capto atque ſaucio, ingentem reliquo-
rum multitudinem conueniſſe ad portum,immoratamq́; donec piſcator dimiſerit eum quem
ceperat:tum omnes ſimul recepto captiuo rediſſe.Paruos item Delphinos magnus aliquis
ſemper comitatur cuſtodiæ cauſſa.Conſpectiq; ſunt iam defunctum portantes,ne laceraretur
à beluis.)Sic quoque Ariſtoteles eodem loco, Iam conſpectus eſt,inquit,Delphinorum grex

maiorum

maiorum & minorum promiſcuus,poſt quem duo quidam paulò pòſt uiderentur Delphi-*nulum defunctum & labentem in imum,in ſumma pelagi dorſo euehere,quaſi miſerantes, ne ab aliqua belua deuoraretur.*

EX CAPITE IX.

Delphinorum ſimilitudinem habent qui uocantur turſiones.)Quidam legunt torſiones, ſed male,cum legẽdum ſit turſiones,cum ex uetuſtis codicibus,tum etiam Theodoro,*qui pro* Phocæna *apud* Ariſtotelem *ſexto & octauo de hiſtoria turſionem & tyrſionem conuertit: qui quidem piſcis inter cetarios habetur, ex eodem* Ariſtotele,Delphino *ſimilis, paulo ſæuior,& roſtris canicularum ſimilitudine maleficus,naſcens in* Ponto.

EX CAPITE X.

Teſtudines tantæ magnitudinis Indicum *mare emittit,ut ſingularum ſuperficie habitabiles caſas integant.) Teſtudo quæ græcè chelone uocatur, inter quadrupedes quæ cortice teguntur,& oua pariunt,enumeratur ex* Ariſtotele,*corticem loco ſquammæ,& ad eam ſimilitudinem habens,ſed ſua natura rigidior atque durior:cuius quidẽ genera plura* Ariſtoteli *&* Plinio *habentur. Aliæ nanque terreſtres,aliæ marinæ, quæ & mures marini* Plinio *appellantur hoc libro:aliæ lutariæ,quæ & mures aquatiles dicũtur.Terreſtres ſunt formoſiores,cortice politiore,in montibus & nemoribus hortiſq; degentes, quarum carnes cibo ſumptæ tabeſcẽtibus remedio eſſe tradũtur.Sunt & aliæ terreſtres teſtudines, cherſinæ uocatæ,in deſertis* Africæ *roſido humore uiuentes.Marinæ uerò in* Indico *ſeu* Taprobane *inſula ad tantã magnitudinem perueniunt,ut ſingularũ ſuperficie habitabiles caſas integãt,ut hic & libro quinto meminit* Plinius,*quas etiam ſpirare & dormire in terra tradidit: & in* Carmaniæ *angulo ſunt* Chelonophagi *teſtudinum carne ueſcẽtes,& ſuperficiebus caſas tegentes,ac in eis ex* Strabone *nauigantes. Antemeridiano tempore blãdito.)Scribendum,aut meridiano tẽpore blandito.* Vt *ſolis uapore ſiccato cortice non queant mergi.)* Ariſtoteles *octauo de hiſtoria:Teſtudines,inquit,marinæ laborant plerũq; & intereunt, quoties innatantes ſiccãtur ſole.deferri enim in gurgitẽ facilè nequeũt.Modũ eas capiẽdi non modo* Plinius,*ſed &* Oppianus *docet.Sunt & ex hoc genere apud* Troglodytas *quæ cornigeræ ſunt, de quibus infra peragemus.Quæ uerò lutariæ ſiue mures aquatiles uocantur, in dulci aqua & luto uiuunt.has* Ariſtoteles *omydas ſiue emydas appellat,& ſunt cæteris minores,* Mediolanenſibus *mirum in modũ expetitæ.Fuit & teſtudo quidẽ fluuiatilis trium cubitorũ aliquando uiſa,ut* Nicolaus Damaſcenus *refert. In mari uiuunt conchylijs,tanta oris duritia, ut lapides comminuant.)* Ariſtoteles *octauo de hiſtoria: Teſtudines marinæ conchulas petunt. habent enim os omnium robuſtiſſimum. quicquid nanque in os ceperint, ſiue lapidem, ſiue quoduis aliud, perfringunt ac deuorant. exeunt etiam in terrã,& paſcunt herbã. Sic una quam cepimus in portu* Tænario,*qui nũc portus qualearũ appellatur, tantã duritiẽ in ore habebat,ut cuſpidem ferream iaculi perfringeret.Sunt teſtudines omnes pectore plano ac tabellato,ſed tergo tumido & incuruo.ſunt capite & ceruice anguineis: dentibus carent,ſed roſtri acie omnia comminuunt,ex* Plinio *hic,& undecimo uolumine:ſuperna parte inferiorem claudẽte,pyxidũ modo:pedibus quaternis multifidis unguiculatis, quos & exerunt & retrahũt intra corticem,quẽadmodũ & caput.quæ & tardigradæ ſunt,abruptúmque & perexiguum ſibilum edunt.Sola autem teſtudo inter corticata ueſicam obtinet.in hac*

enim tantummodo natura caſtrata eſt: cuius rei cauſſa eſt, quòd marinæ teſtudines pulmonē habent carnoſum, ſanguineum, & ſimilem bubulo: terreſtres autem proportione maiorē. ſuperficies etiam, quia obdenſa præduraq́; modo ſilicis eſt, facit ne humor diffſari euaporarique poßit per carnem laxiorem, ut ſerpentibus cæteriſq́; opertis cortice euenit. humor enim ijs in corticem tegentem, ut auibus in pennas abſumitur, cum exiguo potu contēta ſint, propter exanguem pulmonis naturam: atque ita excrementi copia tāta ſubſidet, ut eorum natura conceptaculum & uas quoddam capax humoris deſideret. Veſicam igitur teſtudo ſola inter hæc habet ea de cauſſa: ſed marina amplam, terreſtris exiguam admodum. Renes autē quadrupedum ouiparorum una teſtudo marina habet, magnitudine ad cæterarum partium rationem. ſimiles bubulis renes ei omnino adhærent, quaſi ex multis exiguis conſtituti. Genus tamen teſtudinis quam lutariā uocant, & ueſica & renibus caret. fit enim propter eius mollitudinem tegminis, ut humor facilè diffletur. Lutaria igitur ob eam cauſſam neutram earum partium habet, ſed lienem exiguum, ut terreſtris, obtinet. Iecinora quoque uitiata teſtudines habent, ut corpora quoque earundem prauum temperamentum ſortiuntur. teſtes lumbis intus adhærent, meatuſq́; gemini ab his ſimiliter atque ſerpentibus tendunt. Coeunt tam aquaticæ quàm terreſtres eodem modo quo ea quæ animal generant, mare ſcilicet ſuperueniente.

In terrā egreſſæ in herbis pariunt oua, auium ouis ſimilia, ad cētena numero.) Ariſtoteles quinto de hiſtoria: Teſtudines etiam marinæ, inquit, egreſſæ in terrā pariūt oua, auium cortalium ouis ſimilia, & defoſſa coopertáque incubant noctibus. Ouorum numerus maximus eſt, nā ad centena pariunt oua. Educant fœtus annuo ſpatio.) Ariſtoteles eodem loco non ad marinas teſtudines hæc ut Plinius, ſed ad terreſtres contribuit. inquit enim: teſtudo oua durioris teſtæ & bicolora edit, quale ouum auium eſt: eaq́; defoſſa & cooperta terra, ac pauita & complanata incubat, crebrius repetens. fœtúmque ſequēte anno excludit. Ibi enim primo de teſtudine terreſtri, ſecundo de lutaria, tertio de marina loquitur. De lutaria autem ita inquit: Mus aquatilis ſiue teſtudo lutaria, in terra ſcrobe effoſſa dolij amplitudine, parit oua: quæ deſerit terra obruta, dieq́; triceſimo repetit, refoßáque aperit, fœtúmque continuo ducit in aquam. Teſtudines autem marinæ humore gaudent, & ita, ut ne uiuere quidem diſcluſæ ab aquæ natura ualeant: atque etiā ex minori genere teſtudines lutariæ, ſiue mures aquatiles dicti, niſi in aquam diu ſpirent, intereunt: & parere tamen educareque (uti retulimus) ſolēt in ſicco. Teſtudo, ut Ariſtoteles nono de hiſtoria tradit, cum uiperam ederit, mox cunilam edit. quod cum ita ſæpius factum animaduertiſſet quidam, ut guſtata cunila uiperam teſtudo repeteret, herbam euulſit: quo facto, teſtudo interijt. quod Plinius octauo & uigeſimo libro confirmat.

EX CAPITE XI.

Teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectoſq́; & repoſitoria his ueſtire, Carbilius Pollio inſtituit.) Vetus lectio, Caruilius Pollio, non Carbilius, de quo & trigeſimotertio uolumine, Lectos, inquit, mulierum iam pridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidiſſe primus traditur Caruilius Pollio eques Romanus, non ut operiret, aut deliaca ſpecie faceret, ſed punica. idem & aureos fecit. nam fuit is prodigi & ſagacis ad luxuriæ inſtrumenta ingenij, ex Plinio hoc loco. teſtudinum uerò putamina ſecari in laminas libro quoque decimoſexto Plinius ipſe meminit.

EX CAPITE XII.

Alia corio & pilis teguntur,ut uituli,hippopotami.)Hi duo,inquit,piſces, corio & pilo ueſtiuntur.de uitulo marino mox dicemus.Hippopotamos,qui equi fluuiatiles latinè appellantur, Aegyptus gignit,præcipuè Nilus: quorum dorſum & iuba equi eſt, ungula qualis bubus,roſtrum reſimum,talus etiam ineſt biſulcorum modo,dentes exerti,ſed leuiter,cauda apri torta,uox equi,magnitudo aſini ex Ariſtotele,ſed maximi tauri ex Herodoto.tergoris craßitudo tanta,ut niſi humore madeat,impenetrabilis ſit,quam ob rem ex eo ſcuta & galeas ac uenabula faciunt. interiora omnia equi & aſini ſimilia. quorum etiam natura ita conſtat,ut diu uiuere niſi in humore non poßint: & tamē parere educareq; ſolent in ſicco.noctibus quoque ſegetes depaſcuntur,ad quas pergunt auerſi aſtu doloſo,ut fallente ueſtigio,nullæ reuertentibus inſidiæ præparentur, Nicandro, Plinio & Solino tradentibus: ut fallentibus ueſtigijs non ferentibus ſit legendum in Plinio libro octauo. Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter exiſtit. aßidua nanque ſatietate obeſus exit in littus, recentes harundinum cæſuras perſpeculatus:atque ubi acutißimum uidet ſtipitem,imprimēs corpus,uenam quandam in uentre uulnerat: atque ita profluuio ſanguinis morbidum aliàs corpus exonerat,& plagam limo rurſus obducit.ab hoc medici eximere in morbis ſanguinem,quod phlebotomiam uocant,didicere. Alia corio tantum,ut Delphini.)Delphini,turſiones,& reliqua cetacei generis corio duntaxat integuntur. Cortice, ut teſtudines.) Teſtudines inter cortice intecta Ariſtoteles quoque enumerari uoluit, quemadmodum lacertæ & crocodili,& reliqua quadrupedia,quæ oua pariunt,& genus omne ſerpētum.hæc enim omnia cortice operiuntur. Cortex hic loco ſquammæ ſimilis poteſt appellari. Sed & inter teſtacea Plinius teſtudines aliquando poſuit,ut libro undecimo. Quæ animal pariunt, pilos habent:quæ oua,pennas aut ſquammam,aut corticem,aut teſtam ut teſtudines, aut cutem puram ut ſerpentes.à quo nec Ariſtoteles octauo de hiſtoria penitus diſſentire uidetur, cum dicit:Exuunt ſenectutem ea quibus cutis mollis,nec prædura & teſtacea quædam eſt, qualis teſtudini(nam & teſtudo inter cortice intecta enumeranda eſt,& mus aquatilis) ſed qualis ſtellioni lacerto,& præcipuè ſerpentibus eſt.ex quibus uerbis etiam comprehenditur,ſerpētium corticem interdum cutem, quemadmodum à Plinio, appellatam ab Ariſtotele fuiſſe. Exuunt quidem hæc omnia tum uere cum egrediuntur,tum etiam autumno. Vipera etiam quæ ſola ex hoc genere animal parit,exuit tam uere quàm autumno.Cum ſerpens exuere incipit,ab oculis primùm detrahi aiunt,ita ut obcæcari uideatur ijs qui rem non intelligunt, cum caput exuitur.glabrum enim hoc omnium antequam reliquum corpus apparet,atque una ferè nocte & die ſenectus tota exuitur,à capite orſa ad caudam, & cute altera intus ſubnaſcente ipſa remouetur. ut enim fœtus inuolucrum ſecundarum, quo contentus prodierit,exuit:ſic iſta ſenectute detracta renouantur.De ijs autem quoniam magna ex parte terreſtria ſunt, multa uolumine præcedenti retulimus. illuc ergo relegandi noſcentes hæc ſunt.

Silicum duritia,ut oſtreæ & conchæ.)Oſtracoderma uocantur à Græcis,quæ ſilicea teſta concluſa muniuntur,hoc eſt,quibus pars carnea intus,ſolida foris, fragilis atq; ruptilis, non colliſilis,qualia concharum & oſtrearū genera ſunt,de quibus infrà dicemus abunde. Cruſtis,ut locuſtæ.)Quæ à Græcis malacoſtraca appellantur,Theodorus in uniuerſum cruſtata latino nomine nuncupauit:quæ cum apud Græcos communi nomine carere ex Ariſtotele-

primo de hiſtoria Plinius animaduertiſſet, cruſta intecta omnia ſub cancri nomine cenſuit appellanda, ceu cancer genus eſſet & ſpecies. Quæ cruſta igitur integuntur, partem ſolidã foris, mollem carnoſamq; intus continent. durum illud eorum tegmen non fragile, ſed colliſile eſt: quale cancrorum genus, locuſtarum & gammarorum, de quibus loco ſuo peragemus uberius. Squammis, ut piſces.) Squamma in piſcibus ita ſe habet, ut in auibus penna: quæ (ut ait Ariſtoteles) præ rigiditate tenuitateq; deſiſtens, ſumma corporis occupat, & extenuatis ac ſeneſcentibus piſcibus durior craßiorq; efficitur. Qui quidem ſquammati piſces cum natura frigida ſicciorëq; ſint, oua pariunt imperfecta. Aſpera cute, ut ſquatina.) Quæ chartilaginea nuncupantur, ſquammis omnia carent, ſed cute aſpera muniũtur: ut ſquatinæ, raiæ, paſtinacæ, & reliqua generis eiuſdem, quoniam ſpina chartilaginea conſtant. terrenam enim portionem natura inde ad cutem tranſtulit, inq; eius aſperitatem abſumpſit. Molli, ut murenæ.) Legendum arbitror, leui ut murenæ, ex Ariſtotele quarto de partibus animalium, unde Plinius hæc mutuatur: Cutis, inquit, alijs ſquammata, alijs aſpera, ut ſquatinæ, raiæ, & reliquis generis eiuſdem: alijs leuis, ſed paucißimis: intelligendo anguillas, congros & murenas, quæ omnia ſæpenumero inter longos & leues enumerauit, ut primo de hiſtoria. inquit enim: Pinnas alij tantum binas habent, qui longi leuesq; ſunt, ut anguillæ, ut congri: aut nullas omnino habent, ut murena. quod Plinius quoq; fecit, licet piſces eos non leues, ſed lubricos appellauerit hoc libro. ubi de pinnis piſcium loquitur, binæ, inquit, omnino longis & lubricis, ut anguillis & congris, nullæ ut murenis: quod in 32. uolumine etiam confirmare uidetur, cum dicit murenam maculas appetere ipſas, conſciã teretis ac lubrici tergi. Leui igitur potius legendum cenſeo: neque enim ita proprium fuiſſet dictum, murenam mollem, hoc eſt teneram habere cutem, cum ex Ariſtotele mollem cutem etiam habeant quæ mollia appellantur, ut loligo, ſepia, polypus, qui ad tactum etiam molliores ſunt q̃ murenæ, ut mox uidebitur: qui & lacertorum & ſerpentum corticem interdum cutem mollem (uti retulimus) appellauit, quod & Plinius libro undecimo ſerpẽtibus potius tribuiſſe uidetur, ubi de palpebris loquitur dicẽs: ſed quadrupedi in ſuperiori tantum gena, uolucribus in inferiore, & quibus molle tergus, ut ſerpentibus. ubi non intellexit piſces illos longos & leues ſerpentibus ſimiles, nam piſces genis omnino carent. Alia nulla, ut polypus.) Hic quoque mutata lectio uidetur, & legendum eſſe, alia molli, ut polypus: ex Ariſtotele primo de generatione animalium, ubi ait: cute molli intecta generant oua. etiam ſi quarto de hiſtoria hæc non cute ſed carne molli operiri dixiſſe uideatur, cum dicat, Primũm quæ mollia appellauimus, hoc eſt quæ ſanguine carent, & foris carne molli obducta, ſolidum intus modo ſanguinei generis continent, quale ſepia eſt. quod ita dixit, non ut mollia habere cutem negaret, ſed ut deſcriberet qualiter genus mollium ſe haberet. durum enim ac ſolidum intus per dorſum ac corporis prona continet, quod piſcium ſpinis proportionetur: ut ſepiæ quod ſepium uocant, & loligines quod gladiolum, non cute ſed carne contectum: quæ caro poſtea cute ſuperintecta eſt, ſicuti ſpina in anguillis carne obtegitur: quæ quidem caro exterius cute operitur. mollia enim tota ferè carnoſa, & tactui cedentia ſunt, quæ cute etiam exterius obtecta ſunt, ut paulò infrà Ariſtoteles his uerbis declarat: Alueus, inquit, mollibus à capite amplioris capacitatis propenſus, cuius caro fißilis eſt, uerum non per directum, ſed in orbem, cutéque omnibus intecta eſt. Galenus item in tertio de uirtute alimentorum libro, Mollia, inquit, uocantur

tur, quæ neque ſquammam habent, neque aſperam neque teſtaceam cutem, ſed mollem, ut hominibus. Sunt autem hæc polypi, ſepiæ, loligines, & cætera his ſimilia, quæ tangenti mollia uidentur. Facilis corruptio à molli ad nulla. Attamen exiſtimatio ſua cuique ſit. Nos enim *hæc & alia huiuſmodi non tam mutandi quàm conferendi collidendiue propoſito commemoramus.*

EX CAPITE XIII.

Hic parit in terra pecudum more, ſecundo partus reddit initu.) Ariſtoteles ſexto de hiſtoria animalium, unde Plinius hæc mutuari uidetur, ſic ait: Hic, ſcilicet uitulus marinus, animal & concipit ſtatim intra ſe, & parit: ſecundas quoque emittit, & lac reddit modo pecudum. Canũ modo cohæret.) Ariſtoteles libro eiuſdem hiſtoriæ quinto, Vituli marini, inquit, modo animalium retro mingentium coeunt, & diu ligati in coitu cohærent ut canes. genitale ijs maribus grande eſt. Et parit nunquam geminis plures: educat mammis fœtum: non ante duodecimum diem deducit in mare, ex eo ſubinde aſſuefaciens.) Ariſtoteles ſexto de hiſtoria: Parit ſingulos aut geminos, & cum plurimum tres: mammis, quas geminas habet, educat fœtum ritu quadrupedum. parit ut homo omni tempore, ſed maxime cum primis capris. prolẽ circa duodecimum diem à partu deducit in mare, ſubinde aſſuefaciens. illa decliuis fertur, nec ambulat, cum nondum inniti ſuis pedibus ualeat. colligere ſe ipſe uitulus & contrahere poteſt: carne enim abundat, mollisq; eſt, atque oſſibus chartilaginoſis conſtat. Interficiuntur difficulter niſi capite eliſo. ipſis in ſomno mugitus: unde nomen uituli accipiunt.) Idem quoq; dicit Ariſtoteles eodem loco: Interficitur difficulter, niſi eliſis temporibus capitis. Corpus totum carnoſum eſt, mugitus ei in ſomno. genitale fœminæ ſimile raiæ eſt. Vitulus marinus græcè phoca dicitur, quo nomine Latini quoque uſi ſunt. Virgilius:

Sternunt ſe ſomno diuerſi in littore phocæ. Et alibi:

Et turpes paſcit ſub gurgite phocas. inde Phocæa urbs minoris Phrygiæ, ut inquit Ptolem. Athenienſium colonia, unde profecti ſunt qui Maßiliã apud Gallos non procul à Rhodano condidere, dicta q̃ uituli marini magno numero cõparuiſſent urbẽ condẽtibus.

EX CAPITE XIIII.

Pilo carentium duo omnino animal pariunt, Delphinus & uipera.) Hæc lectio diminuta quidem eſſe uidetur, cum multo plures quàm duo ſint piſces pilo carentes qui animal pariunt. Nam præter Delphinum, raia, paſtinaca, ſquatina, torpedo, bos, lamia, aquila, leuiraia, ſquatraia, canicula, muſtelus, ſpinax, & reliqua chartilagnei generis omnia animal pariunt, ut ea quæ cete appellantur, ex Ariſtotele ſecundo & ſexto de hiſtoria, & quarto de partibus animalium, & ipſomet etiam Plinio infrà ubi de chartilagneis loquitur. & cum cæteri piſces, inquit, oua pariant, hoc genus ſolum, ſcilicet chartilagineum, ut ea quæ cete appellant, animal parit, excepta quam ranam uocant. & libro undecimo de auribus loquens ait: ſed aliquæ omnibus, animal duntaxat generãtibus, excepto uitulo marino atq; Delphino, & quæ chartilaginea appellauimus, & uiperis: hæc cauernas tantũ habent auriũ loco, præter chartilagnea & Delphinũ, quem tamen audire manifeſtum eſt. ex quibus uerbis fateri uidetur, plura q̃ duo piſciũ genera pilo carẽtium animal parere. Ad hæc addendi ſunt turſiones, phyſeteres, orcæ, qui omnes pilo carẽt, & animal pariũt. quibus etiã priſtes & balenas adieciſſem, ni hæc à Plinio inter pilo intecta poſita eſſe cognouiſſem. Quapropter legendũ:

exiſtimo hoc modo: Pilo carentium quæ omnino animal pariunt, Delphinus, chartilaginea, ac uipera. etiam ſi in ſerpentum non aquatilium genere uipera enumeranda ſit: quod ideo fecit, non modò quia animal pariat, ſed quòd ex expedũ genere etiam ſit, quemadmodum & piſcis. Nam Ariſtoteles multis in locis uiperam parere eodem modo quo chartilaginea prodidit, ut in principio quarti libri de partibus animalium, ubi ait: Viperæ inter ſerpentes eadẽ à cæteris ſui generis differentia diſcrepant, qua inter piſces chartilaginea à cæteris ſui generis. Nam & chartilaginea & uiperæ animal edunt in lucem, ubi primùm intra ſe oua pepererint. uentres ſingulos hæc quoque omnia habent, ut cætera quæ utrinque dentata ſunt. & primo de generatione animaliũ inquit, Chartilaginea uerò & uiperæ, cum intra ſe oua generãt, mox animal foras pariũt. perfectũ generãt ouũ. ita enim ex ouo animal gignitur, ex imperfecto nullum. Non extra hæc pariunt oua, quia natura frigida ſunt, non quia calida, ut quidã uolũt. & libro etiã ſecũdo: Nã expedũ, inquit, aliæ animal pariũt, ut uiperæ & chartilaginea. aliæ ouũ, ut piſciũ genus, ac cæteræ ſerpẽtes. & tertio de natura animaliũ, cũ dicit: Vipera enim animal edit poſtquã intra ſe oua peperit, cũ cætera ſerpentum omnia genera oua edant in lucẽ: quo fit ut uiperæ uni uulua ſimilis ut chartilagineis ſit. & in primo etiã uolumine eiuſdẽ hiſtoriæ ait: Verũ cũ cæteræ ſerpẽtes oua pariãt, uipera una animal gignit. Non enim pilos omnia habent quæ animal generãt, quippe cum nonnulli ex piſcibus animal procreent. quæ tamẽ pilos ſortita ſunt, animal omnia proggignunt. Ex quo facilè credi poteſt uiperam eſſe quam modò Hiſpani uiperam, & Itali maraſſum appellant. Nam ex omni ſerpentum genere nullum quod animal pariat, præter maraſſum nouimus, maximè cum Herodotus uiperas per uniuerſum terrarum orbem conſpici tradat, fœminamq́; in coitu collum maris in emittenda genitura comprehendere ſorbereq́;, nec prius dimittere q̃ deuorauerit: & marem quidem hoc modo perire: fœminam uerò talem luere maſculo pœnam, quòd filij dum adhuc intra uterum ſunt, patrem ulciſcentes, matrem ambedunt, eiuſq́; aluo ambeſa ita partum faciunt: unde uiperam, quòd ui pariat, dici aliqui arbitrantur. Ego potius uiperã quaſi uiuiperam eſſe contenderem, cum è ſerpentibus ſola uiuipera ſit. uipera, echis & echidne à Græcis uocatur, ſed prior mas, ſequens fœmina eſt, magnitudine cubitali, & interim maiori, niſi ſit Indica, quippe quam cubitorum quindecim à ſe uiſam Nearchus aſſerit. Ariſtobolus uero nouem cubitorum & palmi uiperam uidiſſe refert, quam & eiuſdem magnitudinis Strabo in Aegypto uidiſſe meminit. Cui tamẽ diſplicet legendum eſſe in Plinio chartilaginea, quòd non niſi capite uigeſimoquarto cœpiſſe chartilaginea appellare uidetur, legat: Pilo carentium quæ omnino animal pariunt, Delphinus & uipera. aliter Plinium ut diminutum accuſare oportebit. Piſcium ſpecies ſunt 74.) Si piſces à capite ſequenti uſque ad finem huius libri enumerabis, præter ea quæ cruſta & teſta etiam integuntur, ſpecies piſciũ ſeptuagintaquatuor omnino inuenies. Libro uerò 32. computatis beluis marinis, & ijs qui oua pariunt, & cruſtatis nonnullis, ac etiã teſtatis, cẽtum ſexagintaſex animaliũ in mari uiuentiũ ſpecies Plinius enumerauit, dẽptis Ouidianis quas ab alio authore nominari negauit.

EX CAPITE XV.

Præcipua magnitudine thynni. inuenimus talenta 15. pependiſſe: eiuſdem caudæ latitudinem duo cubita & palmum.) Vetus lectio non thynni ſed thynnum habet, hoc modo: Præcipua magnitudine inuenimus thynnum talenta quindecim pependiſſe, eiuſdem caudæ latitu-

dinem duo cubita & palmum: ut unum tantum huiuſmodi ponderis repertum fuiſſe intelligas. nam ſequitur etiam, eiuſdem caudæ latitudinem &c. Quod & Ariſtoteles confirmare uidetur octauo de hiſtoria, unde Plinius hæc mutuatur. inquit enim: Iam captus eſt thynnus ſenex, cuius pondus erat ad talenta quindecim, & caudæ interuallum ad cubita quinque & palmum. quod ſi proportionem huius thynni & caudæ rectè perpenderis, non ad quinque, ſed ad duo cubita & palmum, ut in Plinio, in Ariſtotele etiam legendum eſſe conijcies. De thynnis poſt infrà dicemus. Silurus in Nilo.) Hic canis exortu potiſsimũ (quòd ſublimis innatet) ſideratur, & tonitruo ſopitur magno, qui uel à dracone anguc, gurgite parum alto ictus interit. in cibo damnatur, cum utero fert: & cum cæteri omnes mares ſuis fœminis ſint præſtantiores, ſilurus fœmina præſtat ſuo mari. Pariunt ſiluri grandiores ſtagno altiore, quippe cum nonnulli uel trium paſſuum altitudine pariant. minores breuiori contenti ſunt gurgite, præcipue ad radices ſalicis, aut cuiuſuis arboris, atque etiam inter harundines, & algas, & muſcoſam congeriem, non ſolum pares cum paribus, ſed etiam admodum grandes cum paruis ueniunt: admotisq; meatibus, quos aliqui umbilicos uocant, fœmina ouum, mas liquorem uenereũ depromit: & oua quæ liquor ille uitalis contigerit, candidiora extemplo cernuntur, maioráq; reddi eodem die propemodum dixerim. Paulo autem pòſt oculi fœtus exiſtunt conſpicui, qui in quouis piſcium genere perinde ut in cæteris animalibus ſtatim pateſcunt, prægrandesq; apparent. quæ ex ouis non attigerit liquor maſculi ille uitalis, hæc ſterileſcunt, & ſuperuacua ſunt, ut in marino etiam genere incidit. fœcundis iam ouis piſciculo increſcente detrahitur uelut putamẽ, quod membrana eſt ouum ambiẽs & piſciculũ. oua tacta à fœtifico maris ſemine admodũ glutinoſa redduntur, ad ceſpites coeuntia. at ubi peperit mas, plurimũ curæ proli impendit: fœmina ut peperit, abit. ſed mas quo in loco plurimus fœtus conſtiterit, perſeuerans oua cuſtodit. nec alium præbet uſum, niſi ut piſciculos ne diripiant fœtum, arceat: idq; ad quadrageſimum & quinquageſimum diem facit, donec ſatis iam aucta ſoboles ſe tueri à cæteris piſcibus ualeat. prehenditur ſæpe à piſcatoribus ubi oua cuſtodit. dum enim arcet piſciculos, quatit, proſilit, & ictum ſonumq; mouet. manet apud oua tam ardente animo, ut cum ſæpe à piſcatoribus oua ſi prealtis gurgitibus ſubſidunt, educantur quoad magis fieri poteſt in uadum, ipſe tamen eodem ſtudio fœtum ſequatur, neque deſerere uſquam patiatur. tunc ſi minor ſit natu, minusq; uſu exercitatus, facile hamo capitur: ſed ſi peritus & hamifraga eſt, morſu dentis ſui duriſsimi rumpit hamum, & fœtum aſsidue cuſtodit, ex Ariſtotele de hiſtoria animalium libro nono. Ex quo apparet falli eos qui ſilurum eſſe ſturionem exiſtimauerunt. Siquidem ſilurus maleficus ſit, omne animal appetẽs ex Plinio & Ariſtotele, qui & dentatũ eſſe dixit eodẽ libro. Sturio autẽ neq; maleficus neq; dentatus eſt. Scylurus autẽ cũ per c & y pſilon ſcribitur, Scytharũ rex fuit, qui (ut Plutarchus in libello de garrulitate refert) cum relictis octoginta filijs diem eſſet obiturus, petijt faſcem haſtarum. quo accepto filijs imperauit, ut omnes ſimul connexas diffringerent ac rumperent. quod cum fieri poſſe negaſſent, ipſe educens ſibi ſingulas, omnes facilè fregit: ita docens illos, ubi unà eſſe perſeuerarent, firmos ac potentes fore, imbecilles autem ſi ſepararentur ac diſsiderent. Attilus in Pado &c.) Attilus non eſt ſturio, ut aliqui exiſtimarunt: ſed qui nunc Attina ſiue Adena ab accolis Padi nominatur, ad octingentas & mille interdum libras perueniens. Atqui hunc minimus appellatus clupea, uenam quandam eius in

*faucibus mira cupidine appetens,morſu exanimat)*Clupea *triſſa græcè dicitur, & eſt piſci-
culus marinus ſpinoſioris generis,minutiſsimis ſquammis contectus, dorſo cæruleo, cætero
colore argenteo.*Euripus *hoc piſcium genere uacat,ut nono de hiſtoria refert* Ariſtoteles.Ro-
mani lacciam, Veneti *chiepam,* Hiſpani *ſabogam,* Galli *aloſam uocant, quam & Auſonius
ita appellaſſe uidetur,cum cecinit:*

Stridentéſque focis obſonia plebis alauſas. Propterea Gregorius Tiphernas *in*
Strabone,*&* Theodorus *in Ariſtotele,cum Auſonium triſſas non alios quàm aloſas,ut nunc
quoque,in Gallia uocari perſpicerent,clupeáſque eiuſmodi piſces eſſe minime noſcerent,alo-
ſas interpretati ſunt.de triſſa* Hippocrates,Ariſtobolus,Athenæus,Oppianus, *&* Aelianus.

*Silurus graſſatur ubicunque eſt.)*Hoc *certiſsimum eſt.nam & in homines, ut author eſt*
Pauſanias,*& equos pariterq; animalia omnia ſilurus impetū facit:unde apud quoſdā,quo-
niā homines petit,homipeta nūcupatur.* Præcipuè *in Mœno Germaniæ amne.)* Ex *uetuſtis
codicibus aliqui in* Rheno,*& aliqui in* Mœno *habēt.*Hermolaus *uero in Aeno legendū cen-
ſuit,quod non probamus,cū ꝙ* Aenus *tēpore* Plinij *& priſcorū authorū nō erat Germaniæ
fluuius,cum ea tantū pars quæ ultra Danubiū eſt,tūc Germania appellaretur:at Aenus citra*
Danubiū *eſt,in quē influit prope* Patauiū *nobilē ciuitatē Bauariæ,quæ pars* Norici *eſt:tum
etiā ꝙ non adeo magni piſces in Aeno reperiūtur.legendū ergo in* Rheno,*uel potius in* Mœ-
no,uti ſcriptū eſt. Mœnus *nanq; fluuius eſt quē nunc* Mangonū *&* Moganū *Germani uo-
cant,omnibus Germaniæ fluminibus curuior,ex* Pinifero *monte oriētalis* Franciæ *deſcendēs
iuxta* Hercyniū, *& in* Rhenum *ſe exonerans, quod* Iacobus Zieglerus *geographorum o-
mnium ætate noſtra facilè princeps me monuit.* Propter Liſboū.) *Barbārus prope Viſbiū
corrigit,neutrum probo.non enim ueriſimile eſt* Plinium *indicaſſe talem amnem magis pro-
pe* Viſbium *eſſe,quàm prope alterum locum,cum longiſsimus ſit: aut ſilurum id magis fa-
cere prope* Viſbium , *cum in omni eius parte ſilurus hæc facere poſsit. Antiqua uerò le-
ctio,pro telis boum: quæ & mendoſa eſt,ſed aliquid omnino ad boues referre uoluit, quo-
niam dixit omne animal appetens,equos innatātes ſæpe demergens.* Et in Boryſthene me-
moratur præcipua magnitudo,nullis oſsibus ſpiniſue interſitis, carne prædulci.) Neque hic
ſilurum intelligit,ut quidam falſo opinati ſunt.Silurus nanque ſpinas habet ex Plinio *libro
trigeſimoſecundo,cum dicit:Siluri fluuiatilis,qui & alibi quàm in* Nilo *naſcitur,carnes im-
poſitæ recentes,ſiue ſalſæ,extrahunt tela corpori:eiuſdem cinis extrahit, & adeps:& cinis
ſpinæ eius uicem ſpodij præbet.ſed antaceum piſcem cetarium intelligit,licet non nominet*
ex Herodoto *libro quarto,qui maximos quoſdam piſces cetarios ſine ſpinis ex* Boryſthene
fluuio ad ſalſamenta idoneos antaceos appellat , quos etiam Strabo Delphinis *magnitudine
pares reddidit. hos* Mela Pomponius *&* Solinus *intelligentes, optimi ſaporis eſſe prodi-
derunt:quod etiam* Barbarus *in corollario capite de omotaricho ita exponere uidetur.* In
Gange India *plataniſtas uocant, roſtro* Delphini *& cauda, magnitudine autem quindecim
cubitorum.)*Plataniſtam *puto è cetariorum eſſe genere,roſtro & cauda* Delphino *ſimilem.*
Strabo *nanque ſcribit ex epiſtola quadam* Crateri *ad matrem* Ariſtopatram, Alexandrum
*in Gangem uſq; proceſsiſſe, & à ſe id flumen uiſum affirmat,& cete in eo,plataniſtam for-
te intelligens.loca etiam ſpatioſa latéque patentia à platani foliorum amplitudine platani-
ſtas* Græci *uocant,ut author eſt* Phocion.*Eſt & plataurus piſcis apud* Oppianum,*ita ap-
pellatus*

pellatus quòd caudam latam habet. Hippocrates uero platanonem ſaxum mari extans læuigatum eſſe tradidit, & platanones ſiue plataneta, loca platanis conſita. In eodem eſſe Statius Seboſus haud modico miraculo affert uermes binis branchijs 60. cubitorum, cæruleos, qui nomen à facie traxerunt: his tantas eſſe uires, ut elephantos ad potum uenientes, mordicus comprehenſa manu eorum, abſtrahant.) Longitudo illa ſexaginta cubitorum non ad branchias ſed ad uermes referenda eſt. Nam branchias ſexaginta cubitorum longitudine conſtare, præter ueritatem, & dictu incredibile eſſet, cum neque longas, neque breues branchias ab aliquo dictas reperies. Verum & ſimplices & binas quaternáſue branchias piſcibus Ariſtoteles contribuit, quod item Plinius commeminit hoc libro. Solinus uero in Polyhiſtore, non branchijs ſed brachijs, nec ſexaginta cubitorum ſed ſenûm cubitorum ſcribit, longitudinem illam cubitorum ad brachia non ad uermes referens, hoc modo, Aquæ etiam gignunt miracula non minora. Anguillas ad tricenos pedes longas educat Ganges, quem Statius Seboſus inter præcipua miracula ait uermibus abundare cæruleis nomine & colore. hi bina habent brachia longitudinis cubitorum non minus ſenûm, adeo robuſtis uiribus, ut elephantos ad potum uentitantes, mordicus comprehenſos ipſorum manu rapiant in profundum. Neſcio an à Statio Seboſo an potius à Plinio hæc Solinus excerpſerit: ſed ſi à Plinio, illud ſane non omiſerim, quo minus dixerim, eum ipſum uerba Plinij perperam interpretatum fuiſſe, ac uermes nomine melius & uerius quàm cæruleos nomine prodidiſſe, cum Plinius à facie, hoc eſt forma corporis, non colore, uermes huiuſmodi nomen attraxiſſe ſcribat, licet ſint colore cærulei: nam uermibus corpore ſimiles ſunt: quos cum talem figuram habeant, ueriſimilius eſt brachijs carere, quàm eadem poßidere. nam ſi brachia obtinerent, non uermes ſed monſtra appellaſſet, ut neque credendum ſit huiuſmodi animalia brachijs prædita eſſe, ex eo quòd inter præcipua miracula hæc prodiderit, cum & anguillas ad tricenos pedes longas inter non minora miracula in Gange reperiri Solinus ipſe tradiderit, quibus neque brachia, neque crura tribuerit. Non igitur ob hanc cauſſam, ſed ob longitudinem eorum ac fortitudinem admirandam, quòd elephantes in profundum per proboſcidem abſtrahant, hæc inter miracula commeminerit, ut Plinij lectionem magis quàm Solini probandam exiſtimauerim. Qui error (ſi error eſt) hinc proficiſci potuit, ut reor, quòd Solinus longitudinem illam ad branchias, non ad uermes referens, in Plinio branchijs ſexaginta cubitorum longitudinis non modo mendoſe legi, uerum & ridiculum eſſe putauerit. quippe cum brachia quoque hæc cubitorum ſexaginta longitudinis eſſe incredibile admodum exiſtimaret, longitudinis cubitorum non minus ſenûm ſtatuit deſcribendum. Philoſtratus quoque libro Apollonij uitæ tertio, in Phaſide amne inquit beluam eſſe albo uermi ſimilem, ex qua capta oleum fit ad uſum ignis accommodatum, quod niſi uitro contineri poßit. Capitur autem regi tantummodo eiuſcemodi belua, qua ille diruendorum mœnium cauſſa utitur: nam ubi muros eiuſmodi pinguedo tetigerit, ignis accenditur inextinguibilis omnium maxime quæ pro excitandis incendijs ab hominibus inuenta ſunt. qui & in eodem duntaxat flumine oriri piſces ſcribit, qui pauones appellantur. Vocantur autem quo & aues nomine, quia ipſis etiam ceruleæ ſunt criſtæ, ſquammæ autem uerſicolores, cauda uero aurea, in quãcunq; uoluerit partem facilis. Thynni mares ſub uentre non habent pinnas.) Differt mas thunnus à fœmina, inquit Ariſtote-

les quinto de hiſtoria, eo quòd fœminæ pinnula iuncta ſub uentre eſt, aphareus nuncupata, quæ mari deeſt. Intrant è magno mari pontum uerno tempore gregatim.) Hæc ab Ariſtotele octauo de hiſtoria mutuatur. inquit enim: Thunni, limariæ, hamiæ, ſubeunt pontum uere, æſtatemq́; ibi traducunt, & reliqui ferè plurimi fuſanei & gregatilis generis eodẽ tranſeũt.

Nec alibi fœtificant.) Hæc ſimiliter ab eodem ſumpſit. Ait enim quinto de hiſtoria: thunni in ponto pariunt, nec uſpiam alibi: quod item Phrynichus teſtatur. *Cordylla appellatur partus, qui fœtas redeuntes in mare autumno comitatur. limoſæ uerò à luto pelamides incipiunt uocari.)* Ariſtoteles ſexto de hiſtoria, unde hæc Plinius accepit, inquit: cum thunni in ponto pepererint, prodeunt ex ouo, quas alij cordyllas uocãt, Byzantij auxumas nominant, quia diebus paucis adoleſcunt, quæ exeunt ponto autumno fœtus comitantes. eodem autem redeunt uerno tempore, iam adeptæ eam magnitudinem qua limariæ nomen accipiant. Martialis libro tertio: Cordyllas madida tegas papyro. & undecimo: Mox uetus & tenui maior cordylla lacerto. Itémque: Ne toga cordyllis, ne penula deſit oliuis. quæ & tumores in capite ſignificat. Sed Cordylus apud Ariſtotelem, quem cordulam & cordulum interpretatus eſt Gaza, eſt aquatile animal in paluſtribus degens, qui non pulmonem ſed branchias habet, egreſſúsque cibum petit in terra, & quadrupes idem eſt, ut ad ambulandum idoneus, caudam habet laxam & latam, quem & curilum Numenius appellauit, ut author eſt Athenæus. Vnde in Ariſtotelis codice græco quarto de partibus animalium, capite decimotertio, crocodili pro cordylli mendoſe legitur. Fœtas, id eſt matres partu liberatas. Pelamis, inquit Diphilus, & multi alimenti & grauis eſt, ſed urinam ciet, & difficulter concoquitur. ſale condita facilis aluo, & attenuat. *Et cum annuum exceſſere tempus, thynni.)* Ariſtoteles eodem loco: limarijs, inquit, thunni prouectiores ætate anno eſſe putantur uno. Annuum, id eſt unius anni ſpatium. Pelamidum plura ſunt genera, quorum maximi ſunt qui orcynes uocantur, tritoni ſimiles: & in alto fœtificant: quos & ab Herculis columnis in noſtra maria penetrare, ob id & quamplurimos in iberico & tyrrheno pelago capi Dorion teſtatur. Hiceſius uero dicit eos qui capiuntur in Gadiris, pinguiores eſſe, poſt hos autem in Sicilia. Diphilus inquit, orcynus cœnoſus & maior, chelidoniæ in duritie ſimilis. partes uerò quæ ſub uentre ſunt, & Clis, ſuaues & molles ſunt. ſynodontidas aliqui appellari rentur. Diphilus dixit: Pelamis maior uocatur ſynodontis. Tritones, quos & chelidonias alij uocari putant, ſubeunt pontum uere, æſtatémque ibi traducunt, ſemel nec uſpiam alibi quàm in ponto pariunt. Thynni uerò mares, thynnides fœminæ nuncupantur, quas Theodorus thunnas interpretatur: & magnum ſuſcipiunt incrementum, cute læui, plumbei coloris, cauda lunæ modo bifurcata, quos hodie etiam thunnos cognominant. grandes capiuntur, inquit Archeſtratus, circa Samum, quos ipſi orcynos appellant. Alij autem rurſus cete. Similiter Heracleon Epheſius dicit, Atticos thynnos appellari orcynos. Soſtratus in ſecundo de animalibus pelamidem thynnida uocari tradit. Athenæus uerò uere putat thynnida fieri thynnum, & cum ad magnitudinem peruenerit, orcynum, poſteáq́; cum ad immẽſam magnitudinem excreuerit, fieri cete. Coeunt thunni menſe Februario poſt idus, pariunt iunio circa ſolſtitium, edunt ſua oua condita quaſi utriculo, in quo exigua multaq́; conſiſtunt. incrementũ autem partus præcipua ſumit celeritate, qui etiam omnium maxime piſcium gaudent tepore: & ob eam rem arenam & littora adeunt: per ſumma etiam maris innatant, quò teporis potiãtur, qui & gregatim & amice uiuunt.

*uiuunt. Scribit Athenæus piſcatores ſacrificium perficientes Neptuno, quando maximam
thunnorum capturam fecerint, ſacrificare deo Neptuno, idq́; ſacrificium thunnæum uocari.
Thynnis & thynnus, inquit Diphilus, ſunt graues, & multi alimenti. Hi membratim cæſi
ceruice & abdomine commendantur atque clidio, recenti dũtaxat, & tum quoq; graui ru-
ctu.) Ego quoq; clidio non edulio in uetuſtis exemplaribus ſcriptũ inuenio, Athenæo etiam
idipſum comprobante: ut Barbarus locum huiuſmodi deprauatum reſtituit. Thynni igitur in
partes ſecantur: ſed quæ ceruix abdomen, & clidium, hoc eſt ex eo iugulus, ſiue pars quæ
pectus à ceruice diſcriminat, appellantur, recentes in cibo commendantur. Nam eam quæ eſt
ſub uentre partẽ Eubulus laudauit: eam uerò quæ clida uocatur, Ariſtophon commendauit.*

*Cætera parte plenis pulpamentis ſale aſſeruantur.) Sed & thunnos ſalſos ſcribit Hero-
pitus apud Phaſelitas Cylabræ paſtori ſacrificari. ſalſamẽta Græci duorũ generũ fecere ex
Athenæo, horæa, & thunnina. in horæo, quod à tempeſtiuitate uidetur appellatum, macra
pinguibus, in altero macris pinguia præferimus. de horæo Plautus quoq; mentionẽ facit in
captiuis. Quæ autem Cybia dicuntur, inter macra ſunt, ut inter pinguia cordyllæ. Horæa ex
pelamide, id eſt limoſa minore fieri, thunnia ex maioribus, quas aliqui ſynodontidas appel-
lant. Eſt autẽ ſynodontis, ut author eſt Diphilus, maior pelamis, durior q̃ chelidonias. Eſt &
ſynodon piſcis qui à noſtris dentex uocatur. Itẽ ſexitana ſiue gaditana ex orcyno, quæ clides
& clidia, hoc eſt partes quæ diuidunt pectus à ceruice, uocãtur: quas Ariſtophon laudabat.*

*Melandrya uocãtur cæſis quernis aſſulis ſimillima.) Melandrya appellantur thynni par-
tes conciſæ quercus aſſulis ſimiles, quæ & ex orcyno fieri ſolebant. Varro, cybiũ, inquit, &
thynnus, & cuiuſuis item partes græcis uocabulis omnes, ut melandrya atq; uræon. Eſt autẽ
melandrys, ut Pamphilus libro de nominibus tradit, thynni genus grandiſſimum. At in alio
piſce circa caudam exercitatiſsima.) Arbitror Pliniũ per alium piſcem tritonem pelamidum
generis magnum intellexiſſe. ex eo nanq; uræa cybia fiunt, ex Plinio triceſimoſecundo uolu-
mine. Eſt autem uræon ſalſamentum caudæ proximum ex Athenæo. Quod autem hic exer-
citatiſsima dicitur, fateor me non intelligere, niſi quis ita legat: At in alio piſce circa caudam
præſtantiſsima, cum ſuperius dixerit in melandrya: uiliſsima ex his quæ caudæ proxima, &
probatiſsima ea quæ faucibus. in alio uerò piſce econtrario conſtat, nam præſtantiſsima quæ
circa caudam eſt. Pelamides in apolectos, particulatimq; conſectæ in genera cybiorũ diſper-
tiuntur.) Senſus eſt: pelamides diſpertiuntur in apolectos, & particulatim conſectæ diſper-
tiuntur in genera cybiorum. De apolecto Plinius triceſimoſecundo uolumine: Pelamis, in-
quit, earum generis maxima apolectos uocatur, durior tritone. Cybium autem, ut idem au-
thor eſt eodem libro, eſt conciſa pelamis. Martialis: Vel duo fruſta rogat cybij, tenuémque la-
certum. de quo etiam meminit M. Varro, uti retulimus. Piſcium genus omne præcipua cele-
ritate adoleſcit, maxime in ponto. cauſſa, multitudo amnium dulces inferentium aquas. amiam
uocant, cuius incrementum ſingulis diebus intelligitur.) Hæc ſexto de hiſtoria ab Ariſtotele
tradita ſunt. Inquit enim: Profecto omne piſcium genus celeriter adoleſcit, & præcipuè in
ponto, quippe cum ibi incrementum ſingulis diebus planè intelligatur, ſed hamiæ longe con-
ſpectius. Cauſam autem, hoc eſt multitudinem amnium dulces inferentium aquas, non ibidem
Ariſtoteles, ſed octauo libro reddit, cum dicit: Petunt autem pontum paſtus gratia, qui ube-
rior & commodior ibi propter aquarum dulcium admixtionem ſuppeditatur. Tum itaque*

uictus,tum etiam partus gratia pontum ſubeunt.ſunt enim ibi loca ad partionem aptiora: & humor dulcior ac potulentior,fœtum melius educat.Sed cum pepererint,& proles iam adoleuerit,exeunt poſt uergilias ſtatim: & ſi hyems auſtrina ſit, tardius:ſi aquilonia,citius,propter ſecundi flatus commoditatem:prolesq; adhuc parua apud Byzantiũ capitur,utpote cum longior mora in ponto non fuerit. Et primi omnium ſcombri,quibus eſt in aquis ſulphureus color,extra qui cæteris.)Scombri ſunt qui & modo ſcombri appellantur, menſe iunio parientes ex Ariſtotele de hiſtoria libro ſexto.Coeunt,inquit,thunni & ſcombri menſe Februario poſt idus.pariunt iunio ante nonas,edunt ſua oua condita quaſi utriculo.incrementum autem partus præcipua ſumit celeritate,& ſunt boni ſucci & nutritiui, Hiceſio tradente. Hiſpaniæ cetarias his replent,thynnis non commeantibus.)Cetariæ dicuntur loca iuxta mare ſtagnante lacu,in quibus piſces capiuntur, & iuxtà ſaliuntur.Plinius hoc libro infrà:Carteiæ, inquit,in cetarijs aſſuetus quidam polypus exire è mari in lacus eorum apertos, atque ibi ſalſamenta populari.Et cetarij ſunt magnorum piſcium piſcatores, utputa thynnorũ & aliorum huiuſmodi.Varro uerò animaduertit,cetarios cum uidere uolunt in mari thunnos,aſcẽdere in malum alte,ut penitus per aquam perſpiciant piſces.& qui magnos piſces & ſalſos uendunt,cetarij quoque dicuntur à cete,qui maiores in mari ſunt piſces perfectum animal parientes,ut Delphini,balenæ,priſtes,& cætera huiuſmodi genera: in quo quidem uidentur haberi & thunni magni,non animal ſed ouum parientes, ex uerbis M. Varronis ſuperius allegatis,Archeſtrato,Athenæo & Paulo Aegineta de tuenda ualetudine, tradente cetacea, ut balena,uitulus marinus,libella,Delphini,& thunni prægrandes:qua in ſententia & Galenum fuiſſe uideo.Ariſtoteles uerò his tanto antiquior, cui maior fides adhibetur, eos tantum piſces qui animal pariunt,ut Delphini,Balenæ, & cætera id genus cete appellauit. primo nanque de hiſtoria ſic tradit. Item alia animal gignunt perfectum, alia ouum, alia uermem procreant:animal homo,equus,uitulus marinus,& reliqua quæ pilis integuntur:atque in genere aquatili quæ cete appellamus,ut Delphini. Et libro ſecundo: Cete,inquit,etiam in aquatili genere,ut Delphinus,uitulus marinus,Balena: hæc enim mammas habent, & lac.at ea quæ oua pariunt,aut ouo intus concepto animal poſt in lucem excludunt,hæc & mammis carent & lacte,ut piſces,ut aues.Thunni igitur,qui neq; animal generant,neq; mammas neque lac habent,ſed oua pariunt imperfecta,ſi inter cetarios reciperentur, mentitus utique fuiſſet Ariſtoteles,qui ſemper cetarios piſces animal parere non oua teſtatus ſit. Scombris ergo Hiſpaniæ replent cetarias,propterea quòd thunni ad ea loca non commeant. Sed in pontum nulla intrat beſtia piſcibus malefica,præter uitulos & paruos Delphinos.) Ariſtoteles octauo de hiſtoria:Beluæ,inquit, magnæ pauciores in ponto ſunt:nam excepto Delphino & phocæna,nihil in ponto maleficum eſt:nec Delphinus hic magnus eſt:quanquam extra ubi aliquantum proceſſeris,magni habeantur.Sed legendum omnino in Plinio præter uitulos,non phocænas.nam ſi legeretur phocænas,fuiſſet utique mentitus,cum phocæna non intret pontum,ſed naſcatur in ponto,ex Ariſtotele ſexto de hiſtoria,ubi ait:Idem & phocænæ,id eſt turſioni partus,qui Delphino ſimilis eſt,naſcens in ponto.At Plinius non ineſt,ſed nulla intrat beſtia malefica in pontum,dixit.Ariſtoteles uerò qui non intrare,ſed nihil in ponto maleficum eſſe dixit,quando Phocæna legi etiam deberet,ſecundum ueritatem & ipſe locutus fuiſſet.Item per paruos Delphinos,ueros Delphinos paruos Plinius intellexit, non

phocænas

phocænas, ut Hermolaus ambigere uidetur. Nam ſequitur ibidem in Ariſtotele, unde hæc Plinius mutuatur: Nec Delphinus hic magnus eſt, quanquam extra ubi aliquantum proceſſeris, magni habeantur. Ego non tantum Plinium admiror quantum Ariſtotelem, qui cæteris diligentior & accuratior uiſus eſt, quòd excepto Delphino & phocæna nihil in ponto maleficum eſſe dixerit, cum in ponto etiam phalæna belua malefica reperiatur. thunnos enim & Delphinos perſequitur, quod omnes referunt qui in pontum nauigant. Taceo quòd uituli marini maleficæ beluæ frequentes in ponto reperiantur. Nam de magnis ibi, non de mediocribus aut paruis beluis loquitur Ariſtoteles. Thynni dextra ripa intrant, exeunt læua: id accidere exiſtimatur, quia dextro oculo plus cernunt, utroque hebete natura.) Ariſtoteles eodem octauo libro, Thunni, inquit, dextrorſum terram contingentes ſubeunt, ſed remeant contra. læuum enim in latus ſe admouent: quod propterea facere dicuntur, quia dextro oculo clarius uident ſua natura, læuo hebetius: quod & Athenæus tradit ex ſententia ipſius Ariſtotelis. Eſt in euripo Thracij boſphori, quo Propontis Euxino iungitur, in ipſis Europam Aſiámque ſeparantis freti anguſtijs, ſaxum miri candoris à uado ad ſumma perlucens iuxta Chalcedonem in latere Aſiæ.) Vetuſti codices non in latere Aſiæ, ſed in littore Aſiæ legunt. Et certe Strabo cum de hoc ſaxo loquitur, littus Aſiaticum & ripam Chalcedoniam nominauit. A portu, inquit, ficulneo ad Byzantiorum cornu ſtadia quinque. Eſt autem cornu ad Byzantij mœnia prope ſpectans, ſinus in occaſum extenſus ad ſtadia ſexaginta, cornu ceruino perquam ſimilis. nam in plures ſinus perinde ac ramos quoſdam ſcinditur, in quos irruentes pelamides facilè captantur. Id autem cum earum multitudine, tum ui, & impellentis fluxus impetu, cum propter ſinus anguſtiſſimos uel manibus comprehendantur. earum generatio in mæoticis paludibus fit, inde uerò paulatim erumpunt grege facto per os ipſum, ac propter littus Aſiaticum uſque ad Trapezuntem ac Pharnaciam excurrunt. Hinc primum earum uenatio exiſtit, non copioſa admodum, nondum enim conueniens eſt multitudo. ut uerò Sinopen propius acceſſerint, ſpecioſior nimirum earum eſt piſcatio, ſimul & ſalſamentaria. Poſtquam uero Cyaneas tranſierint, & ex ripa Chalcedonia albicans occurrerit petra quædam, tantus beſtijs ipſis terror incutitur, ut eueſtigio in ulteriorem conuertantur ripam. quas cum præceps aquarum curſus corripiat, & innata locorum aptitudo maris fluxum ad Byzantium cornúque Byzantij deflectat, & eò naturæ impetu propellat, copioſum Byzantinis populóque Romano ſuppeditat prouentum. At enim Chalcedonij in ulteriore propè conſiſtentes littore, in nullam eius ubertatis communionem accedunt, quoniam ad eorum portus ne una quidem pelamis ſeſe applicat. Vbi notandum Plinium thynnos appellaſſe quos Strabo pelamides nuncupauit, ceu thynni pelamidum generis ſint. D. paſſ. medij interluentis euripi.) Antiqua lectio & Polybius libro quarto. D C. P. medij interfluentis euripi. Quidam eos qui hoc è thynnis faciant, pompilos uocant.) Vetuſti codices omnes hic & infra hoc libro & trigeſimoſecundo uolumine non pompilos, ſed pomphilos deprauate, ut opinor, habent. Nam pompilus, de quo hic agitur, eſt è genere thynnorum. Athenæus pompilos inquit crebro iuxta naues uideri uarios, pelamidi ſimiles. Clitarchus etiam dicit quòd nautæ pompilum piſcem ſacrum appellant: pompilúmque idcirco uocari, quòd naues è pelago ad portum uſque cum pompa deducere ſoleat, aureiſque ſupercilijs præfulgens, quod & Callimachus tradidit. Et Eratoſthenes aureum in

ſupercilijs ſacrum piſcem dicit,pompilum intelligens.Timachidas pompilos ſacros etiam appellauit.Itemq́; Epimenides Delphinos & pompilos ſacros eſſe tradit.Verùm pompilum Delphino inimicum eſſe,Pancratis narrat. Alexander Aetolus pompilos inquit fungi officio gubernatoris nauigij.Corinna etiam pompilum nautis bonam mittere nauigationem tradit.Oppianus quoque pompilum appellauit. Apollonius quoque Rhodius de Pompilo homine mutato in piſcem propter Apollinis amorem meminit,de quo Theocritus in Berenice. Quamobrem cum tot authores pompilum appellent,in Aeliano arbitror pomphilum pro pompilo deprauate legi.Hic ſemper nauigiorum curſus comitatur. Saxatilium turdus & merula deſunt.)Turdus qui græcè κίχλη dicitur,eſt piſcis inter ſaxatiles nobilis,pedis longitudinem non attingens,branchijs quaternis nouiſsima excepta, forma tincæ proxima,colore ſubobſcuro,ſed guttis purpureis & albis in uentre diſtinctus,ut turdus auis. Vnde M. Varro turdum piſcem à colore turdi auis dictum putauit.Nunc Veneti piſcem merulam falſo nominant, cuius plura & Columellæ habentur genera.Merula autem eſt inter ſaxatiles laudata,turdo ſimillima,niſi quòd merula nigrior eſt,quam,quoniam tincæ formam habet, tincam marinam Veneti cognominant. Mutant ambo colorem ex Ariſtotele de animalium hiſtoria libro octauo.Piſces ſaxatiles omnes,inquit Celſus,leuiores ſunt, & aluum mouent. Diphilus item dicit,Ex marinis piſcibus ſaxatiles ſunt boni ſucci,quanquam facilè corrumpuntur,leues, & pauci alimenti,atque abſtergunt.Qui autem pelagij ſunt,difficilius corrũpuntur,& multi alimenti. Athenæus inquit,Qui uocantur ſaxatiles, ut cobij,ſcorpiones, pſittæ,& cætera his ſimilia,ſiccum alimentum corporibus præbent, & multum nutriunt, & cito concoquuntur:nou relinquũt multas ſuperfluitates,neq; ſpiritus aggenerant,& meliores ſunt ſi ſimpliciter præparentur.his ſimile eſt genus qui carne ſunt molliore, ut turdi, merulæ, & ſunt humidiores quàm cobij & ſcorpiones,ſunt tamen in edendo utiliores,aluũ enim molliũt,& urinam cient magis q̃ illi,quoniã humidiores & carnoſiores ſunt.oportet uerò ſi quis aluũ mouere uoluerit,elixos comedere,toſti uero magis alunt.ad urinam utroq; modo præparantur utiles.Galenus item libro de uirtute alimentorũ tertio, optimus,inquit, inter ſaxatiles delectationis gratia ſcarus eſſe creditur,poſt ipſum autem merulæ & turdi, poſt hos iulides,phycides & percæ:qui bene concoquuntur,& ſaniſsimi ſunt, quorum carnes molles ſunt, atteſtante Philotimo. Intrantiũ pontũ ſoli non remeãt trichiæ &c.)Ariſtoteles octauo de natura animalium: Trichias,inquit,una cum adit pontũ,uidetur & capitur:ſed exiens nuſquã uiſa adhuc eſt:quod ſi qua apud Byzantiũ aliquando capiatur,piſcatores ſua retia luſtrant propter exitus inſolentiã.cuius rei cauſſa eſt,quòd ſolæ ipſæ ſubeunt Iſtrum amnẽ:unde fiſſo flumine per abditum terræ meatum defluunt in Adriaticum ſinum. Argumento eſt quòd ibi contrà euenit q̃ in ponto.exeuntes enim ſemper capiuntur,ſubeuntes nunquam.Trichiæ latine ſardæ dicũtur,bis anno parientes ex Ariſtotele & Plinio, quas idem Plinius pelamides eſſe longas ex Oceano uenientes libro ſecundo & triceſimo teſtatus eſt.Sunt & trichides ſardinæ à latinis appellatæ, quæ ex mẽbradis oriuntur, ex Ariſtotele de hiſtoria libro ſexto.Ait enim,Quã uero phalericam uocant, membradas gignit, ex quibus ſardinæ,ex ſardinis ſardæ oriũtur. Thynnorũ captura eſt à uergiliarum exortu ad arcturi occaſum,reliquo tempore hyberno latent in gurgitibus imìs,niſi tepore aliquo euocati,aut plenilunijs.)Hæc ſimiliter aſſumpta eſſe uidẽtur ex Ariſtotele octauo de hiſtoria:

Thunni,inquit,etiam latent prææltis gurgitibus hyeme,pingueſcuntq́; à latibulo maiorem in modum.capi incipiunt uergiliarum ab ortu ad arcturi occaſum ultimum: reliquo tempore quieſcunt latentes.capiuntur nonnulli ex his cæteriſq; latentibus tempore ſui ſeceſſus,cum ſe moueant locis tepidis,aut ſi temporis inſolitæ quietes contingant.prodeunt enim aliquantulo de ſuo cubili paſtum , & præcipuè plenilunio . ſunt magna ex parte ſuauiſſimi cum latent.

Pingueſcunt in tantum ut dehiſcant, uita longiſſima bis biennio) Ariſtoteles ſexto de hiſtoria:Thunni,inquit,etiam præ nimia pinguedine dehiſcũt,nec pluſquã biennio poſſunt uiuere:cuius rei argumentum piſcatores inde deducunt, quòd cum aliquando limariæ anno ſuperiore defeciſſent,thunni ſequenti anno defecerint.in Carteia,inquit Strabo , thunni querna quadam glande ſaginantur,quæ ad mare naſcitur humilis admodum, at fertilem ingentemq́; impendio producens fructum:quæ quidem copioſa in ipſa etiã terra generatur Hiſpana,ingentes ſane radices perinde ac integræ quercus habens:quæ profectò ab humili radice tollitur minus:tantum uerò fructum affert , ut poſt maturitatem littora & extra columnas & intra glande referta ſint,quã æſtus aquarum eiectat . Cæterũ intra columnas ſemper minus ac minus reperitur.ut autem author eſt Polybius,uſq; Latinam ipſæ glandes emittũtur, niſi Sardinia quoq;,inquit,& huic uicina regio ferat.Verũ thynni ipſi quo magis columnis propinquãt ab exteriore delati pelago,eo amplius eſca deficiente macerãtur.Hæc in mari belua ſemper adeſt plurimũ glande gaudens,cuius cibo eximiè pingueſcit: cumq́; glandium fuerit ubertas,& thynnorum fit ubertas . ſed & Polybius ipſe Megalopolitanus ubi loquitur de Luſitana regione quæ eſt in Iberia,tradit ibidem arbores glandiferas eſſe in profundo maris,quarum fructibus thunni ueſcentes pingueſcunt.quamobrem non aberraret qui eos porcos marinos appellaret.nanq; thunni ueluti porci augẽtur ex Athenæo,quod quidem Marcellum Dioſcoridis interpretem decepiſſe uidetur, qui ſilurum thynno ſimilitudine comparauerit,ut qui Plinium cõmeminerit:Et in Danubio mari extrahitur porculo marino ſimillimus,de ſiluro locutũ fuiſſe,ac per porculum marinum thunnum intellexiſſe exiſtimauerit,

Animal eſt paruũ,ſcorpionis effigie,aranei magnitudine.hoc ſe & thynno,& ei qui gladius uocatur,crebro Delphini magnitudinẽ excedenti, ſub pinna affigit aculeo:tantoq́; infeſtat dolore,ut in naues ſæpenumero exiliant) Hoc animal paruum Ariſtoteles œſtrum, hoc eſt aſilum octauo de animalium hiſtoria libro nominat : Thunni,inquit, & gladij agitantur œſtro,canis exortu.habent enim utriq; per id tempus ſub pinna ceu uermiculum quem aſilum uocant,effigie ſcorpionis,magnitudine aranei . infeſtat hoc tanto dolore , ut non minus interdum gladius q̃ Delphinus exiliat: unde fit ut uel in nauigia ſæpenumero incidat: quod & alibi in eodem inquit,idipſum etiam Athenæo teſtante.Thunnus etiam poſt arcturũ melior eſt.iam enim eo tempore ab infeſtãtis aſili agitatione requieſcit,quæ facit ut ſit in æſtate deterior.ſed tunc larga captura eſt propter infeſti aſili ſtimulum, quod etiam lib.5. meminit. ſed & alijs beſtiolis,ut pediculis & pulicibus appellatis , piſces ſolicitãtur,ex eodẽ Ariſtotele quarto & quinto de hiſtoria. Nam ſi ſomno dati immorẽtur,noctu ab innumera multitudine illarũ beſtiolarum occupati abſumuntur. Gignuntur hæc profundo maris in limo ſimilia multipedibus aſellis,niſi quòd caudam hæc ampluſculam habeant, tanta fœcunditate ut etiam eſcam de piſce emollitam,ſi diu in limo manſerit, totam corrodant atq; abſumant. & quidem ſæpenumero piſcator eſcam demiſſam glomeratis undiq; his beſtiolis perinde ut

pilam recipit. Maris autẽ quod à Cyrene in Aegyptũ panditur, piſcis pediculus nomine circa Delphinũ eſt, qui omniũ pinguiſsimus fit pabuli copia quæ Delphini opera ſuppeditatur.

EX CAPITE XVI.

Piſcium fœminæ maiores quàm mares) Ariſtoteles quarti de hiſtoria fine inquit: In his quæ aut ouum pariunt aut uermem, ut piſcibus atque inſectis, fœminæ maiores ſuis maribus euadunt, quemadmodum ſerpentes, phalangia, ſtelliones, ranæ: & inter piſces puſilli chartilagnei generis, & pars plurima gregalium, & genus omne ſaxatile. In quodam genere omnino non ſunt mares, ſicut in erythinis & chromibus. omnes enim ouis grauidæ capiuntur) Legendum eſt chanis, non chromibus, tum ex uetuſtis codicibus, tum etiam Ariſtotele loco præallegato tradente. Sic etiam inter piſces genus paſſerum eſt, & erythrinorũ, & chanarum. oua enim in ijs omnibus reperiuntur. & libro eiuſdem hiſtoriæ ſexto: De erythrino & chana, inquit, ambigitur. omnes enim grauidæ capiuntur. & tertio etiam de generatione animalium, cum hoc de erythrino refert, de chana ſtatim itidem affirmat. quod item Plinius hoc ipſo libro infra cõfirmare uidetur. Erythini, inquit, & chanæ uuluas habere traduntur. Sunt autem Erythrini ſiue erythrici (hoc eſt ut Latini interpretãtur, rubelli ſiue rubelliones, & rubri à colore dicti) piſces qui nunc à Græcis corrupto nomine lethrini, quaſi erythrini, & Venetis arbores, & Romanis phragolini, & Hiſpanis pagellæ uocantur, pagris ſimiles ex Athenæo, quanquã minores, quos & Dyces uocari à Cyrenæis Clitarchus & Zenodotus tradidere. ut taxandi omnino ſint, qui eos appellari pagros crediderint: ut infrà oſtendemus. Aiunt & ſi iteretur gurges, intereſſe capturæ, itaque plures ſecundo tractu trahi ꝗ primo) Ariſtoteles octauo de hiſtoria, cap. 15. inquit: Aiunt etiam ſi gurgitũ ima ſæpius terantur, plures capi ſecundo iactu quàm primo. quæ clauſula in capitis huius calce aptius locaretur ex eodem Ariſtotele. Dein modicis imbribus gaudent aluntur̳. quippe & arundines, quanuis in palude prognatæ, non tamen ſine imbre adoleſcunt, & aliàs ubicunq; piſces in eadem aqua aſsidui, niſi appluat, exanimantur) Ariſtoteles. 8. de animalium hiſtoria, unde hæc Plinius mutuatur: Piſcium genus, inquit, maxima ex parte anni pluuijs bene (ut dictum eſt) uiuit. ita enim non modo plus cibi naſcitur, uerumetiam omnino pluuio humore iuuatur, ut ea quæ terra gignuntur. olera enim quanuis rigentur, tamen non tantum proficiũt quantum imbre, quod inde arundinibus etiam prognatis euenit. nihil enim ferè accreſcunt niſi aquæ pluuiæ incidant. indicium uel inde accipi poteſt, quòd piſces plurimi petant pontũ, ut in eo traducant æſtatem: facit enim copia amnium loci illius, ut mare ſit dulcius, & cibus largior habeatur, quem ijdem fluuij deferant. Subeunt etiam fluuios genera piſcium cõplura, & præſtant in fluentis & lacubus, ut amia, mugilis. Gobiones etiam pingueſcunt in fluuijs. deniq; loca prædicta lacus commoditate piſces poſsident optimos. Ex pluuijs autem ipſis æſtiui imbres commodiores ſunt parti maximæ piſcium, & præcipuè cum uer & æſtas & autumnus imbribus abundarint, hyems cõtrà ſerenior fuerit. Ad ſummã propè dixerim, cum bene hominibus annus cedit, tunc & piſcibus feliciter degere contingit. locis autem frigidis parum uigent. Prægelidam hyemem omnes ſentiunt, ſed maximè qui lapidem habere in capite exiſtimantur: ut lupi, coracini, ſciæna, pagri) Legendum eſt chromes, nõ coracini, tam ex uetuſtis codicibus, quàm etiam Ariſtotele loco præallegato. maximè, inquit, infeſtantur algore qui lapidem in capite habent, ut chromis, lupus, pager, ſciæna. facit enim lapidis rigor, ut per

algorem

algorem gelent & excidăt. Pagri ſunt quos phagros & phagorios ex Strabone Græci uocant, qui dentices interim magnitudine ſuperant, rubri coloris, erythrinis epatiſque ſimiles Speuſippo & Dorione tradentibus ex Athenæo, roſtro duntaxat breuiore, dentibus longis quibus echinos frangunt, & paſcuntur, lapidem in capite gerentes: in hodiernúmque diem Græci phagros, & Dalmatæ Hiſpaniq́; ac Luſitani pagros uocant, Hiſpani uerò erythrinos, quoniam ſunt pagris ſimiles, minoréſque pagellos uocant, quemadmodum & Romani phragolinos quaſi phagorinos à phagorio, id eſt pagro diminutiuo nomine appellant. Hiceſius dicit pagros, chromim, anthiam, acarnanes, orphos, ſynodontes & ſynagrides genere quidem ſimiles exiſtere. Archeſtratus inquit Sirio oriente oportere pagrum comedere. Pagrorum autem alterum genus eſt fluuiatile, ex Strabone, Athenæo, Plinioq́; triceſimoſecũdo uolumine. Sunt tamen marini pagri, ut inquit Diphilus, fluuiatilibus meliores. Mneſitheus Athenienſis pagros dixit difficulter confici, confectos uerò multum alimenti præſtare: quos & Galenus, & ante eum Philotimus durioris eſſe carnis tradidere. Cum aſperæ hyemes fuere, multi cæci capiuntur) Hæc ſumpſit ab Ariſtotele octauo de hiſtoria tradente, Sed cum plurimis piſcium generibus imbres conducant, mugili tamen & capitoni, & ei qui à nonnullis murinus uocatur, nocent. fit enim ut pluuijs multi ex his de facili excæcentur, ſi modum aqua exceſſerit. Solet enim per hyemem potius capito ita affici. nã oculi eius albeſcũt, & macilentus per id temporis capitur, atque ad poſtremum malo eodem interit: quod non magis imbrium copia quàm algore accidere uidetur. Iam enim cum alibi, tum in Nauplio agro terræ arguæ in uadis multi capti ſunt cæci, cum hyems fuiſſet aſperrima, multi etiam albos habentes oculos capti ſunt. Maximè hippurus & coracinus hyeme non capti, præterquam ſtatis diebus paucis, & iiſdem ſemper) Ariſtoteles eodem octauo uolumine, Piſcium, inquit, etiam complures latere nouimus, ſed apertiſſimè hippurum & coracinum per hyemem. nam hi ſoli nunquam capiuntur, niſi certis quibuſdam temporibus, eiſdemq́; ſemper, cum cæteri omnes ferè ſemper capiantur. Hippurus ſiue hippurea quem Dorion etiam coryphænem, & Numenius arneutim cognominarunt, equiſelis à Theodoro conuertitur, quòd equi caudam imitetur. parit uere tantum, eiusq́; partus de minimo in maximum celeriter augetur, & ad naues naufragatas accurrere ſolet Oppiano teſte. Archeſtratus hippurum Caryſtium commendauit. differt ab hoc qui ab Oppiano uocatur hippus, ab Epicharmo dictus iſpidion, uel ut alij legunt liſpidion. Hic de Coracino marino, id eſt coruulo Plinius pertractat. Item murena & orphus, conger, percæ & ſaxatiles omnes) Ariſtoteles eodem uolumine: Murena, inquit, etiam latet, & orphus & conger. Saxatiles uerò coniugatim mares cum fœminis conduntur, quo modo & fœtificare ſolent, ut turdi, merulæ, percæ, quem Theodorus cernuam interpretatus eſt, Græci quoque orphum hodie cognominant. De cernua piſce meminit & Auſonius: ſed quoniam inter fluuiatiles, orphúm'ne intellexerit, haud equidem affirmare poſſum. De orpho piſce præter Athenæum qui eum latere hyberno tempore dixit, & Polycharmum & Oppianum & Dorionem, qui orphum dum puſillus eſt, orphacinem appellari dixit, meminit ante hos Ariſtoteles in multis locis: ut Plinium demirer libro triceſimoſecundo, orphi piſcis nomen apud neminem alium quàm Ouidium reperiri tradidiſſe, ceu oblitum quod de orpho hic loquitur, ſe ab Ariſtotele mutuatum fuiſſe: quod ſanè credidiſſem ut aliud orphi genus intellexiſſet, ni idem de chane,

glauco,& alijs nonnullis piſcibus feciſſe etiam uiſus eſſet,cum eadem de ijs Ariſtoteles commeminerit.nam chanẽ dixit ex ſeipſa concipere,cum in eo genere non ſint mares, & glaucum æſtate latere,& per id tempus ſe abdere circiter dies.60. octauo de hiſtoria ſcriptum reliquit.Orphus,inquit Diphilus,eſt boni ſucci & multi,uiſcoſus, & difficulter corrumpitur,& multi alimenti,& urinam ciens. partes quæ capiti proximæ ſunt, uiſcoſæ & bonæ concoctionis ſunt,carnoſæ uerò difficulter concoquuntur,& grauiores ſunt. mollior uerò cauda,pituitamq́; educens.orphus adhuc apud Græcos nominatur. Conger,quem & gongrum,ut modo nominant,Plinius.32.uolumine appellaſſe uidetur, piſcis eſt inter longos & lubricos,angullæ ſimilis,ad immenſam magnitudinem perueniens, præſertim in Sicyone, ut meminit Eudoxus,ut non modo ab homine,ſed etiã plauſtro uix portari poßit,pinnis duabus natans,branchijs utrinq; binis & duplicatis, gula exigua: cuius duo habentur genera, alterum albicans,alterum nigricans:quorum fel alijs ad iecur, alijs infra ſepoſitũ adhæret. fœturam etiã intra ſe continent,ſed non omnibus locis æque id conſtat,nec ipſa fœtura ſatis patet in utero pingui obeſo:ineſt tamen ſerie quadam prolixiuſcula,ut in ſerpentibus, quod certe ignis periculo innoteſcit.pingue enim abſumitur atq; euaporatur,oua autẽ crepant,& extruſa diſsiliunt.Ad hæc ſi atteras digitis,pingue leue utiq; ſenſeris,ouum autem duriuſculum. Congri itaq; alij pingue habent,ouum nullum: alij contrà pingue nullum,ouum autem quale modo expoſui,non arenidũ poßident: & carniuori ſunt,ſuperantq́; polypos:ſed edere non poſſunt.leue enim & lapſum polypi corpus uſum hoſtis effugit. locuſtæ uerò congros conuincunt.nam elabi non queunt,propter cruſtæ aſperitatem.Cauda quoq; congri abſcinditur à murena. Archeſtratus inquit congros tantum cæteris piſcibus præſtare, quantum thunnus uilißimis coracinis præfertur:quos & ſtomacho conferre Hiceſius teſtatus eſt.Philotimus uerò & Galenus congros durioris eſſe carnis tradidere. De congro Ariſtoteles, Strabo,Athenæus,Oppianus,cæteri. Nicander in libro de linguis ait congrum & grillum id eſt porcum appellari.Diphilus inquit,Grillus ſimilis anguillæ,inſuauis tamen eſt.Percam Ariſtoteles & marinã fecit,& fluuiatilem.quæ marina eſt,inter ſaxatiles habetur,ab Aetio laudata,percidam eam appellando.percæ quoq; nomen hodie tenet. quæ uero fluuiatilis eſt percæ marinæ quadantenus ſimilis,quam modo piſcem perſecum nominãt:ut à perca, perceca,ac deinde perſecus ſit denominatus: de quo cum optimi ſaporis ſit,Auſon. ſic cecinit:

Nec te delicias menſarum perca ſilebo, Amnigenos inter piſces dignande marinis. *Ex quibus uerbis extorquebãt aliqui percam fluuiatilem eſſe, quam modo trutam uocamus,argumento quòd eam Germani hodie pherchã aſpiratione interpoſita in utraq; ſyllaba pronuncient:ſed ij quidem decipiuntur. Quidam rurſus æſtus impatientia medijs ferruoribus ſexagenis diebus latent,ut glaucus,aſelli,auratæ) Ariſt.de nat.ani.lib.8.inquit:Sed piſciũ nonnulli æſtate etiam latent,ut glaucus.hic enim per id tempus ſe abdit circiter dies. 60. Aſellus etiam latet,& aurata.Plurimum temporis aſellum latere indicio eſſe uidetur, quòd longo interpoſito tempore capiatur.Piſces uel æſtate latere documento illo probatur,quòd temporibus ſyderum fiant capturæ,& præcipuè caniculæ.mare enim per id tempus euertitur, quod latißimè apud Boſphorum patet.limus enim in ſumma effertur,piſcesq́; innatant.aiunt etiam, ſi gurgitum ima ſæpius terantur,plures capi ſecundo ictu quàm primo. Tum etiam magnis imbribus multa apparẽt animalium genera,quæ ante uel nunquã uel raro uiſa fuerint.Glaucus*

piſcis

piſcis pelagius nomen à colore ſumpſit,de quo præter Ariſtotelem,Hippocrates,Polychar-*mus,Atheneus* & Oppianus. Archeſtratus *inquit,ſit nobis glauci anterior pars,congri caput,ranæ uenter,thynni ilia,raiæ ſcapulæ.Mneſitheus* Atheniēſis *glaucos difficulter confici, confectos uerò multum alimenti præbere tradit.*Quàm *mirabilis pater,inquit* Aelianus,*inter piſces glaucus eſt,qui natos ex conſorte piſciculos quàm diligentiſsimè obſeruat, ne inſidias aliquas damnumq́; patiantur.quòd ſi hilares timoreq́; uacui fuerint,natare eos ſinit: ſi quid terrorem incuſſerit,eos hiatu oris excipit,ac deuorat tantiſper dum timore liberentur.poſtea rurſus euomit filios,natareq́; permittit.* Eſt & glauciſcus Diphilo & Athenæo *piſcis qui alius uidetur eſſe quàm glaucus,ex* Plinio. 32. *uolumine poſt mentionem de glauciſco & cæteris alijs piſcibus tradēte.*His *adijciemus apud* Ouidium *poſita nomina quæ apud neminem alium reperiuntur: & inter cæteros glaucum dicit æſtate nunquā apparere, ac ſi ab* Ariſtotele *à quo oblitus eſt accepiſſe, & alijs de eo mentio facta non fuiſſet. & glaucus color cæruleus eſt.hinc glauci oculi,qui cæſij latine appellantur, uulgo albi cognominati, quanuis ad cæruleum inclinentur.*Nam Ariſtoteles *quinto de generatione animalium, hominū oculos in uarios colores diſtinxit.alij nāq; glauci,id eſt cæſij ſunt,alij flauidi,alij nigri,alij caprini. &* Plinius *lib.* 11. *ubi agit de oculorū pupilla,*Alijs,*inquit,nigra,alijs atra,alijs rufa, alijs glauci coloris orbibus circundatis.quales igitur erunt ex his oculi qui nunc albi ſiue cærulei nominantur,niſi glauci? quod ex uerbis ipſius* Ariſtotelis *cōfirmari poteſt.* Inquit *enim eodē loco: oculi omniū puerorum ſtatim à partu cæſiuſculi ſunt,poſt uerò immutantur in eam naturam quæ futura eſt,quorum quidem colorem ad cæruleum inclinari nemo eſt qui nō uiderit. cuius rei cauſſam reddidit,quòd partes nuper natorum imbecilliores ſunt. glaucitas autem imbecillitas eſt.*Item *ibidem dicit:*Glauci *oculi,qui parum habent humoris,ut in mari etiam cernitur.etenim quantum eius ſatis tranſpicitur,glaucum,id eſt cæſium apparet: quantum minus aquinum præ gurgite alto non præfinitur,id opacat, & nigrum aut cæruleum apparet. uerum glauci oculi duorum generū ſunt,cærulei ualde, & minus cærulei: & qui minus cærulei, ij propriè cæſij latine uocantur, quales* Mineruam *habuiſſe ferunt.Sed qui cærulei uehementer ſunt, etſi glaucos quoque, magis tamen proprie cæruleos ab antiquis uocatos inuenio. utroſq; tamen albos uulgus appellat.*Item *equus,inquit,maximè omniū cæterorum animaliū uerſicolor eſt.*Aliqui *enim glauci altero oculo naſcuntur,quod nulli ex cæteris beſtijs euenit manifeſtè: & nos equos huiuſmodi oculos habentes complures uidimus, qui ſcilicet oculorū alterum nigrum,alterum albidum ad cæruleū uergentem haberēt. tales oculos ueteres glaucos appellarant,quos & uulgo nunc glauciolos cognominant,qui & uiſu hebetes ſunt.unde & equi tam qui tales oculos habent,quàm qui pilo cæſio ueſtiuntur, glauci uocantur.* Eum *autem colorem in equis cæſium appello,quem modo leardum pomulatum uulgo nominant, qui præ cæteris ſummopere cōmendatur.*Quāobrem *uellem ut* Marcellus *qui in ſuo* Dioſcoride *cap.de unguento crocino, & de hortenſi ſinape glaucum pro uiridi interpretatus ſit, aſsignaret ubi equos quos* Virgilius *glaucos appellauit, uirides uiderit.* Sed & *ſalices & oleæ à poëtis glaucæ dictæ ſunt,quòd in earum folijs præſertim auerſis color ille ſubalbidus ac pene cæruleus niteat:ſicuti & herba quædam glaux uocata eſt, quòd folia (ut arbitror) auerſa candidiora ſuperne uirentia habeat,de qua* Dioſcorides *meminit,non autem quòd uirentia folia habeat,ut* Marcellus *ipſe in prædictis locis perperam interpretatus eſt.nam ar-*

*bores omnes cum uirides ſint, glaucæ appellari poſſent, quod falſum eſt. Quid quòd Her-
molaum ibidem falſiſſime accuſat, quòd glaucum cæſium conuerterit? quod ſanè melius in-
terpretari non poterat, ut Theodorus, ut Boetius, & reliqui peritiores: non recordans quòd
& ipſe capite de nucibus, puerorũ oculos glaucos, qui cærulei ſunt, cæſios conuerterit. Eſt
enim cæſius color ille aqueus ad cæruleum tendens, qui uel in oculis præcipuè hominum, uel
folijs auerſis oleæ & ſalicis ac braſſicæ, pruniſq; nigris præmaturis eſſe cõſpicitur. nec etiã
color eſt ille flauidus qui in oculis noctuæ ſpectatur, cuiuſmodi Marcellus ipſe imperitiſſime
interpretatur, cum flauidos oculos à glaucis, hoc eſt cæſijs, Ariſtoteles, uti oſtendimus, apertè
diſtinxerit: nec tantũ Marcellus ipſe quantum & antiquiores de cæſio colore in errore fue-
runt. Quinetiã decima ſectione problematum Ariſtoteles quales ſint oculi glauci, hoc pro-
blemate apertè demonſtrat, inquiens: cur albi tam homines quàm equi oculis magna parte
glaucis ſunt? an cum oculi triplici coloris genere diſtinguantur, nigro, caprino & glauco,
corporis totius colorẽ oculi quoq; color conſequitur? itaq; haud immerito glaucus eſt. Cum
igitur loquitur Ariſtoteles de homine albo, dicatq;, corporis totius colorem, oculi quoq; co-
lor conſequitur, glauci oculi ſine dubitatione erunt qui albi nunc uulgo uocantur: qui quidem
glauci non tantũ à colore appellantur, quantum etiam quia uiſu interdiu hebetiores ſunt, ex
Ariſtotele quinto de hiſtoria animaliũ: cuiuſmodi ſunt oculi noctuæ, quæ glaux græce dici-
tur, qui interdiu cernere minimè queunt. & Plinius lib. 7. Idem in Albania gigni quoſdam
glauca oculorum acie à pueritia ſtatim canos, qui noctu pluſquam interdiu cernant. Fuit &
Glaucus Chius, qui primus omniũ (ut author eſt Herodotus) ferri cõpactionem excogitauit.
Glaucium uerò herba eſt Plinio, ſed Dioſcoridi ſuccus eiuſdem herbæ glauciũ uocatur, fortè
quoniã ad oculos ſit remedio. Etenim glaucoma ſecũdum Ariſtotelem quinto de generatione
animalium, ſiccitas oculorũ eſt, quæ ægritudo cæſijs oculis potius accidit, quippe quæ ſene-
ſcentibus magis euenit. nam oculi quoq;, ut reliquum corpus, ſenectute ſicceſcunt. Paulus etiã
Aegineta inquit: Glaucoma uitium eſt humoris eius qui cryſtallinus appellatur, in colorem
glaucum mutantis. Sed de auratis peragendum hoc loco. Aurata igitur, quæ chryſophrys à
Græcis ideo appellatur, quòd aureum ſuperciliũ gerat, ut in auratis ſenioribus cernitur. Ar-
cheſtratus inquit chryſophryn ab Epheſijs Ioniſcon uocari. Sed & oratam à colore auri,
quod ruſtici orum dicebant, appellari legimus apud Feſtum, uti uulgus etiã cognominat. Pa-
rit æſtate, locis ijs maximè quà flumina exeunt: quæ etſi leuior, dura tamen eſt, ut author
eſt Celſus. Diphilus autem auratam rationem melanuri ſequi teſtatus eſt. Mneſitheus Athe-
nienſis auratas difficulter confici, confectas uerò multum alimenti præſtare dixit. Fluuia-
tilium ſilurus caniculæ exortu ſideratur, & aliàs fulgure ſopitur. hoc & in mari accidere
cyprino putant) Ariſtoteles octauo de hiſtoria: Fluuiatile, inquit, & lacuſtre peſte quidẽ &
ipſum immune eſt, ſed nonnullis morbi incidunt proprij. Silurus enim canis exortu potiſſi-
mum (quòd ſublimis innatet) ſideratur, & tonitruo ſopitur magno, quod & cyprino acci-
dit, ſed leuius. Cyprinus autem inter lacuſtres & fluuiatiles habetur, etſi Plinius & Op-
pianus eum marinum facere uideãtur: ſed Ariſtoteles his tanto antiquior, quem ſequor præ
cæteris, fluuiatilem fecit quarto de hiſtoria, ſcribens: Aquatiliũ tamen generi quos piſces uo-
camus, data quidem eſt lingua, ſed imperfecta incertáq;, oſſea enim, nec abſoluta: ſed palatiũ
nonnullis carnoſum pro lingua eſt, uelut inter fluuiales cyprino: ut niſi diligenter inſpexeris,*

lingua

lingua id eſſe uideatur. quod idem repetit ſecundo de partibus animaliũ dicens: Pala'um pi*ſcium etiã complures carnoſi habent, & quidem inter fluuiatiles nõnulli admodũ carnoſum & molle, ut cyprini nomine: ut ſi parum diligenter aduertas, lingua id eſſe uideatur.* Dorion *quoq;, ut Ariſtoteles, & lacuſtrem & fluuiatilem fecit ex* Athenæo Cypriani *uocando, ut* Oppianus*: niſi quis dixerit intelligendum hoc cyprino accidere cum ex amne in mare deſcendat. & eſt quem in hodiernum diem* Græci Cyprinum *uocãt.* Et alioquin totum mare *ſentit exortum eius ſideris, quod maximè in Boſphoro apparet. algæ enim & piſces ſuperfiruntur, ab imo uerſa omnia.) Ariſtoteles de natura animalium in lib.8.* Piſces, inquit, uel *æſtate latere documento illo probatur, quòd temporibus ſiderum fiant capturæ, & præcipuè caniculæ. mare enim per id tempus euertitur, quod latiſſimè apud* Boſphorum *patet. limus enim in ſumma effertur, piſceſq; innatant. Aiunt etiam ſi gurgitum ima ſæpius terantur, plures capi ſecundo iactu quàm primo.*

EX CAPITE XVII.

Mugilum natura ridetur, in metu capite abſcondito totos ſe occultari credentium) De *hac mugilum ſimplicitate loquitur & Ariſtoteles octauo de hiſtoria animalium, dicens:* Gu*loſus omniũ maximè mugilis eſt atq; inſatiabilis: quocirca uentre diſtento graueſcit, & niſi ieiunus ſit, hæret iners. cum hic metuerit, caput abſcõdit, quaſi corpus totũ occultet.* Iiſdem *tamen tanta ſalacitas, ut in* Phœnice *&* Narbonenſi *prouincia coitus tẽpore è uiuarijs marem linea longinqua per os ad branchias religata emiſſum in mare, eademq; linea retractũ fœminæ ſequantur ad littus, rurſusq; fœminam mares partus tempore) Ariſtoteles quinto de hiſtoria:* Circa Phœnicen, *inquit, uel mutuo ſexuum aſpectu capi piſces accepimus. mugiles enim mares à piſcatore ſubducuntur, quorum aſpectu fœminæ congregantur, atq; ita obretiuntur: uerſaq; uice mares capiuntur ſubductis fœminis: quod item* Oppianus *tradit lib.4.* De *mugilum copia in* Narbonenſi *prouincia* Plinius *ſupra capite de* Delphinis *meminit.* Mugiles *autem ceſtrei græcè dicti, quos & plotas* Polemon *uocari dixit, cephalis bonitate inferiores, & maximis meliores. Sunt piſces littorales, piſcium omniũ inter ſquammatos uelociſſimi, candidi, uulgo cephali appellati: quorũ genera plura ſunt.* Chelones *cæteris omnibus bonitate inferiores, ut author eſt* Diphilus*: ſargones, mizones ſiue mixones, cephali, & quos* Euthydemus *ſphenas uocauit, quòd formam ut cuneus quadrangulatam habeant.* Che*lones ſunt apud Ariſtotelem, quos* Theodorus *labeones conuertit. De ſargonibus Ariſtoteles quinto de hiſtoria meminit, ſargos eos appellando, de quibus meminit &* Athenæus. Nam *eſt alterum piſcium genus nomine ſargus, de quo ſuo loco differemus.* Mizones *ſiue* Mixo*nes à* Theodoro *mucones interpretati ſunt, qui & banchi appellantur ex* Plinio *triceſimo ſecundo uolumine, de felle piſcium loquente:* Item banchi quem quidam mixona uocant. *Athenæus banchum inter mugiles minimum pro eo accepit, quem Ariſtoteles chelonem uocauit.* Mixon *autem apud Ariſtotelem, ſiue mixinos apud Athenæum, pro alio mugili quàm chelone capitur.* Cephali *quos* Theodorus *capitones conuertit, ſunt mugilum generis maximi, uulgo quoq; capitelli à capitis magnitudine & grauitate cognominati, ut* Euthydemus *Athenienſis exiſtimauit, guſtu præ cæteris ab* Hiceſio *laudati: à quo mugiles omnes tanquã à maiori & nobiliori nomine ſumpto cephali appellantur.* De *cephalo ſiue capitone* Hip*pocrates, Ariſtoteles, Athenæus,* Oppianus, *Auſonius, cæteri. Itémque mugilum quoddam*

genus in fluuijs lutulentis reperitur, quod neque mares, neque fœminas habet ex Ariſtotele ſecundo de generatione animaliū, qui & alios quoſdam mugiles duabus duntaxat pinnis lacū Sipharum producere ſecundo de hiſtoria, & quarto de partibus, & de inceſſu animalium teſtatus eſt. Marinos quoq; mugiles antiquī in piſcinis lacubusq; dulcium aquarum claudebāt, M. Varrone & Columella tradentibus. Mugilū labeones, ſargones, mucones, capitones, grauescere utero menſe Decembri incipiunt, geruntq; diebus tricenis, ſed per id tempus deteriores ſunt. nam & laborant. unde fit ut tunc potiſſimū ruant in terram, ac excidant. feruntur porrò graui ſtimulo agitati in terram, atque omnino id temporis motu perpetuo incitantur donec pariant: ſed requieſcunt à partu continuò, qui ſemel anno locis ijs maximè editur, quà flumina exeunt. Sunt qui omne mugilum genus ſponte oriri opinantur, ſed nō rectè. Nam & oua eorū fœminæ, & ſemen genitale mares, habere cernūtur. Mugiles omnes carne omnino abſtinent, cuius rei argumentum reddit Ariſtoteles octauo de hiſtoria, quòd neque in uentre tale quid unquam habentes capiuntur: neq; eſca in eos ex carne utimur, ſed offa panis. Nos uerò terræ inteſtinis maritimis hamis affixis piſcamur eos. ueſcitur mugilis unuſquiſque alga atq; arena. unde adagium, Ceſtreus ieiunat, de iuſtis dicitur, quòd alios non comedat. quāobrem qui non ueſcuntur aliqua re animata, ceſtrini appellari haud immerito poſſent. Pythagorei uerò etſi animata aliqua mediocriter comedebant, à piſcibus tamen prorſus abſtinebant, quia non ſunt uocales, propter ſilentiū quod inſſerant, & cuius obſeruatores erāt. Capito, quem alij labeonem uocant, littoribus gaudet. alter generis eiuſdem translittoranus eſt, qui non niſi mucore ueſcitur ſuo, quamobrem ſemper ipſe ieiunus eſt. ſic etiam Galenus capitonem non in mari ſolum, ſed etiā in ſtagnis & fluminibus naſci tradit. Paſcuntur limo omnes capitones, quo fit ut graues & ſordidi ſint: piſcem ipſi nullū omnino edunt: & quoniam uerſari in limo ſolent, efferunt ſe, urinanturq; ſæpe, ut corporis ſordes abluāt. Oua fœtusq; eorum à nulla belua uiolātur, quapropter copioſe exiſtunt. ſed cum adoleuerint, tunc à cæteris piſcibus corripiuntur, maximeq; ab arcano. mugiles ingenio quoq; præditi ſunt. nam ſciunt eſſe in eſca hamum, inſidiasq; non ignorant. auiditas tamen tanta eſt, ut cauda uerberando excutiant cibos, qui & ad concoctionem iuuandam modo auium uentriculos habent. Huic piſcium generi imbres maximè nocent. fit enim ut pluuijs multi ex his de facili excæcentur, ſi modum aqua exceſſerit. Solet enim per hyemem potius capito ita affici. nam oculi eius albeſcunt, & macilentus per id temporis capitur, atq; ad poſtremum malo eodem interit. quod non magis imbriū copia quàm algore accidere uidetur. Iam enim cum alibi, tum in Nauplio agro terræ argiuæ, in uadis multi capti ſunt cæci cum hyems fuiſſet aſperrima, multi etiam albos habentes oculos capti ſunt. ſed cum cæteri ferè omnes ouiperi piſces ueris tempore, mugiles autumno uigent. ſubeunt etiā fluuios, & præſtant in fluctis & lacubus, ex Ariſtotele. quod item Strabo ex Ariſtobuli ſententia confirmat. Diphilus inquit, mugil marinus & lacuſtris & fluuiatilis eſt. hic uerò oxyrinchus etiam uocatur. Athenæus, difficile, inquit, concoquuntur qui è mari ſubeūt, ut mugiles: & in uniuerſum omnes piſces qui utriſq; gaudent aquis. Ex ijs uerò qui tantum in fluuijs & paludibus degunt, fluuiatiles ſunt meliores. paluſtris enim aqua, eſt aquæ putrefactio. Ex fluuiatilibus autē meliores ſunt qui in uelociſſimis fluuijs degunt, & in concoctione maximè præſtant. Verùm ubi dulcis aqua admiſcetur mari, & ubi pelagus & ſinus magni ſunt, omnes piſces humidiores & pinguiores

ſunt, & guſtu ſuauiores, ad concoctionem & alimentum minus boni. In littoribus uerò, qui magno pelago expoſiti, duri & graciles magna ex parte ſunt. Vbi autem littora ſunt profunda, nec uentis infeſtantur, & ſi iuxtà urbs aliqua fuerit, hic maiori ex parte piſces æque ad uoluptatem & concoctionem, & ad corporis alimentum optimi ſunt. hæc ille. Dormiunt mugiles, ut fuſcina interdum ſæpenumero dormientes capiātur, & liquidius inter piſces audiunt. Cauda quoque eorum à lupo abſcindi ſolet, qua abſciſſa ſæpe etiam uiuere uiſi ſunt. & quanquam lupus & mugilis inimici ſunt capitales, ſtato tamen tempore Ariſtotelis & Nigidij teſtimonio congregantur. mirum quidem eſt quod Athenæus de mugilibus refert. Ait enim in Arethuſa circa Chalcidem ſe uidiſſe mugiles cicures, & capientes ab afferētibus cibos. Cæterùm differt ceſtreus, hoc eſt mugil, à ceſtra. Ceſtram enim Dorion & Pollux eandem eſſe cum ſphyræna uoluerūt, maioris alimenti quàm congri, ut author eſt Diphilus. Eſt autem ſphyræna piſcis, latinè ſudis appellatus, quanquam Theodorus in Ariſtotele malleolum conuertit. Plinius. 32. uolumine, Sudis, inquit, latinè appellata, à Græcis ſphyræna, roſtro ſimilis nomine, magnitudine inter ampliſsimos, rarus, ſed tamē nō degener. De ſudi M. Varro meminit libro de lingua latina quarto, his uerbis: Vocabula piſcium pleraque translata à terreſtribus, ex qua parte ſimilibus, ut anguilla, lingulaca, ſudis. meminit item Oppianus libro primo, in hodiernumq; diem græci ſphyrænam uocant. Apud antiquos piſcium nobiliſsimus habitus acipenſer, unus omnium ſquammis ad os uerſis: contra aquam nando meat: nullo nunc in honore eſt, quod quidem miror, cum ſit rarus inuētu: quidam eum elopem uocant) Acipenſer piſcis ſquammas ad caput uerſas gerens. Ex antiquis autem non pauci, ut legere eſt apud Macrobium, de eo conſcripſere, qui nec illius ſeculi delicias euaſit. & ut liqueat ſecundo bello Punico celebre nomen huius piſcis fuiſſe, accipite ut meminerit eius Plautus in fabula quæ inſcribitur Baccharia, ex perſona paraſiti. Quis eſt mortalis tanta fortuna affectus unquam, Qua ego nunc ſum? cuius hæc uentri portatur pompa, Vel nunc qui mihi in mari acipenſer latuit antehac: cuius ego latus in latebras reddam meis dentibus & manibus. Et ne uilior ſit teſtis poëta, accipite aſſertore Cicerone in quo honore fuerit hic piſcis apud P. Scipionem Africanum illum & Numantinum: hæc ſunt in dialogo de fato uerba Ciceronis. Nam cum eſſet apud ſe ad Linternum Sciopio, unáque Pontius, allatus eſt fortè Scipioni acipenſer, qui admodum rarò capitur, ſed eſt piſcis (ut ferunt) in primis nobilis: cum autem Scipio unum & alterum ex his qui eum ſalutatum uenerant, inuitaſſet, pluresq́; etiam inuitaturus uideretur, in aurem Pontius, Scipio, inquit, uide quid agas, acipenſer iſte paucorum hominum eſt. quem etiam Martialis uidetur his uerſibus commendare:

Ad palatinas acipenſem mittite menſas.

Ambroſias ornent munera rara dapes. Plinius tamen hunc piſcem ſuis temporibus nullo in honore fuiſſe tradit. Poſtea præcipuam authoritatem fuiſſe lupo & aſellis, Cornelius Nepos & Laberius poëta mimorum tradidere) De lupo piſce, quem Græci labraca uocant, uariæ fuerunt recentiorum authorum ſententiæ. Prima fuit Simonis Ianuenſis, quem Franciſcus Philelphus imitari uidetur. hi nanque uolebant lupum piſcem eum eſſe qui nunc materno tritóque uulgi ſermone lucius uocaretur, coniectura ducti, quòd lupus piſcis Græcè lycos pudendo errore appellaretur, ut y tenui in u uerſo lucus, ac dein lucius cognominatus eſſet. quæ opinio tum ratione, tum etiam authoritate Galeni facilè cōfringitur. nam

lupus piſcis(uti retulimus)labrax græcè dicitur,non lycos.etenim lycon latini lupum animal quadrupes interpretantur. Præterea lupus piſcis quanuis amnes ſubire ſoleat,non eſt fluuiatilis,uti lucius,ſed marinus:quod Galeni authoritate confirmari uidetur, de lupo piſce ita libro de uirtute alimentorum tertio ſcribentis.Lupum in dulcibus aquis natum non uidimus, ſed ex mari in flumina ac lacus aſcendentem conſpeximus,propter quod parumper limoſus inuenitur aliquando,quemadmodum cephalus.non fugit autem ſtagna ſalſa,nec oſtia fluminum,quãuis in profundo maris uerſari ſit ſolitus.Et Columella maiores noſtros inquit adeo ſtudioſos in alendis piſcibus fuiſſe,ut & dulcibus aquis marinos clauderent piſces, atq; eadem cura muglem ſcarumq́; nutrirent,qua nunc murena & lupus educatur. ex quibus uerbis manifeſtè apparet lupum non eſſe lucium:nam lupus quum piſcis marinus eſſet, magna cura in dulcibus aquis educabatur. De lucio Auſonius certè meminit,qui eum nõ aliter quàm lucium his uerſibus appellauit.

Lucius obſcuras ulua cœnoq; lacunas
Obſidet,hic nullos menſarum lectus ad uſus,
Feruet fumoſis olido nidore popinis. *cui tincã etiã continuo ſubiecit hoc carmine:*
Quis non & uirides uulgi ſolatia tincas Norit? *de quibus,cum uilis generis eſſent, non puto Columellæ teſtimonio ueteres meminiſſe.Inquit enim octauo libro:Item flutas quæ maximè probantur,murenas,& ſi quæ ſunt ſaxatilis notæ,quarum pretia uigent : nam uilene captare quidẽ,nedum alere conducit.Secunda opinio fuit Raphaëlis Volaterrani,& ante eum Poggij Florentini ſenioris,qui lupum eſſe ſturionem aſſeruere, indicio,quòd ſturiones tyberini intra duos pontes capti meliores eſſe exiſtimãtur,id quod de lupo authorum omniũ conſenſu teſtatum apparet. quam ſententiam iam ſuperius oſtendimus eſſe falſam, quum de ſturione ageremus:argumẽto,quòd lupus non aſpera cute,ut ſturio,ſed tantum ſquammis ex Ariſtotele muniatur.ſic enim de natura animalium lib.6. ait:Pariunt oua omnes qui ſquammis teguntur,ut lupus,muglis,etelis,& qui candidi appellantur.Paulus quoq; Aegineta cephalo,hoc eſt capitoni lupum ſimilitudine comparauit.quam quidem opinionem dudum & ante alios confutauimus.Tertia uero opinio fuit Sypõtini, quam puto cæteris ueriorem.uoluit enim lupũ eſſe piſcem qui nunc Varolus à Venetis nominetur.Conſtat enim à lupo quadrupede animali appellatum hunc piſcem fuiſſe,cuius tanta auiditas & uoracitas eſt, ut deficiente cibo terra ueſcatur.Sic etiam uarolos piſces uoraciſſimos eſſe conſtat,quippe qui piſces & purgamenta quæcunq; uel etiam putrida inſectentur.Quare Lucilius acer & uehemens poëta uolens oſtendere ſe ſcire hunc piſcem egregij ſaporis eſſe,qui inter duos pontes captus eſſet,eum quaſi liguritorem appellauit catillonem,ſcilicet qui latrinarum ſtercore inter duos pontes ueſceretur.propriè autem catillones dicũtur guloſi, quaſi catillorum liguritores.unde & Columellæ hos piſces rapaces lupos appellare collibuit.quorum duo quoque genera fecit octauo de re ruſtica libro.Sunt enĩ,inquit,alij uarij,alij ſine macula. Itẽq; è mari in Tybrim uarolos aſcẽdere,tuncq; euadere pinguiores ac meliores uidemus, quod & lupos facere authores ferè omnes memoriæ prodiderunt. Addo etiam quòd lupus lapidem in capite geſtat ex Ariſtotele octauo de hiſtoria. Maximè,inquit,infeſtantur algore qui lapidem in capite habẽt,ut chromis,lupus,pager,ſciæna.quod idem Plinius meminit his uerbis: Prægelidam hyemem omnes ſentiunt,ſed maximè qui lapidem habere in capite exiſtimantur, ut lupi.*

lupi,chromes,ſcienæ,pagri.Itemq; lupũ bis anno partũ exercere iidem authores & Athenæus prodidere.nam hyeme & æſtate circa fluminũ oſtia parit, ut apud Ariſtotelem quinto & ſexto eiuſdem hiſtoriæ libro legitur.qui & cor trigonum habet.Athenæus Mileti grandiſſimos lupos prouenire,eorumq; cerebrum ſuauiſſimum eſſe teſtatur. nos autẽ affirmamus lupos multo maiores reperiri in dulci portu,qui nunc dicitur Phanarius.ibi enim dulcis aqua eſt:quẽ intrat amnis Acheron ex Acheruſia palude profluens apud ſinum Ambracium: ſimiliterq; in Eloro amne,ut author eſt Nymphodorus Syracuſanus. Hiceſius uerò lupos inquit optimi ſucci eſſe & nutrimenti. quos cæteros piſces ſapientia ſuperare Ariſtophanes tradit, quippe qui cautius inſidias euitare ſciant.id quod Plinius & Oppianus confirmare uidentur.Lupum item & mugilem inter ſe inimicitias exercere, ſtato tamen tempore cõgregari,abſcindiq; mugilis caudam à lupo Ariſtoteles,Nigidius & Plinius tradidere. Dicamus igitur unà cum Sypõtino, lupum eſſe uarolum,piſcem ſquammoſum,ſquammis aliquãto minutis,candicantibus præſertim ſupina parte,ore immenſo ſine dentibus,interius tantũ aſpero:à capite uirga quædam nigra ex utroq; latere in caudam uſq; protrahitur.præfertur,& in honore eſt,qui à candore mollitiaq; carnis laneus(ut inquit Plinius)ſiue lanatus, ut Martialis,dicitur,tunc gratiam ſaporis habens,cum fluuios aſcenderit,nunc his in locis,nunc alijs melior:ſicuti de tyberino conſtat,qui inter duos pontes capitur.Talis in maximo pretio & honore ab antiquo in hunc uſque diem habitus eſt.M. enim Varro enumerans quæ in quibus Italiæ partibus optima ad uictum gignantur,piſci tyberino palmam tribuit, his uerbis in libro(ut ait Macrobius)rerum humanarum undecimo: Ad uictum optima fert ager Campanus frumentũ,falern'us uinum,caſſinâs oleum,tuſculanus ficũ,mel tarentinus,piſcem tyberis. Hæc Varro de omnibus ſcilicet huius fluminis piſcibus,ſed inter eos præcipuum locum lupus tenuit,& quidem is qui inter duos pontes captus eſſet.id oſtendunt cum multi alij, tum etiam C.Titius uir ætatis Lucilianæ,in oratione qua legem Fanniam ſuaſit : cuius uerba ideo ponentur,quia non ſolum de lupo inter duos pontes capto erunt teſtimonio, ſed etiam mores quibus plerique tunc uiuebant,facilè publicabunt. Deſcribens enim homines prodigos in forum ad iudicandum ebrios commeantes,quæq; ſoleant inter ſe ſermocinari, ſic ait. Ludunt alea ſtudioſe,unguentis delibuti,ſcortis ſtipati. Vbi horæ decem ſunt, iubent puerum uocari, ut in comitiũ eat percontatum quid in foro geſtum ſit,qui ſuaſerint,qui diſſuaſerint. quot tribus iuſſerint,quot uetuerint.inde ad comitium uadunt,ne litem ſuam faciant.Dum eunt,nulla eſt in angiporto amphora quam non impleant,quippe qui ueſicam plenam uini habeant. Veniunt in comitium triſtes,iubentur dicere. quorum negocium eſt, narrant.iudex teſtes poſcit, ipſus it minctum.ubi redit,ait ſe omnia audiuiſſe,tabulas poſcit,literas inſpicit. Vix præ uino ſuſtinet palpebras.eunt in conſilium. ibi hæc oratio, Quid mihi negocij eſt cum iſtis nugatoribus potius quàm potamus mulſum mixtum uino græco, edimus turdum pinguem, bonùmque, piſcem lupum germanum qui inter duos pontes captus fuit? Hæc Titius. In tanto itaque honore lupus apud antiquos habebatur, ut per excellentiam piſcis nomen ſolus fuerit adeptus, quaſi nullum alium piſcis nomine dignum uocari exiſtimarent, ut ex dicto illo luxurioſo apud M. Varronem libro de re ruſtica tertio percipi facilè poteſt. Cum enim, inquit, ad Minidium hoſpitem Caſſini Philippus diuertiſſet, & ei è uicino flumine lupum piſcem formoſum appoſuiſſet, atque ille guſtaſſet,& expuiſſet,dixit: Peream ni

piſcē putaui eſſe. Lupi,ut teſtatur Celſus,medij inter teneros duroſq; piſces ſunt,atq; leuiores planis.Galenus uerò quo ad nutrimētū damnare uidetur piſces omnes qui iuxta fluminū oſtia uictitant,propter latrinas & coquinarū ſordes,& alia quæ abluūt, quapropter lupos tyberinos damnaſſet. De lupis quadrupedibus hic nihil dicemus. nam de ijs præcedenti uolumine diſſeruimus. Verùm & inter aues è monedularū genere lupus eſt.Monedularū enim tria ſunt genera ex Ariſtotele nono de hiſtoria.unum quod graculus uocatur, magnitudine quanta cornix,pedibus & roſtro rutilis.Veronenſis ager maximè abundat hoc genere, ibiq; tacolæ nominantur.alterū lupus cognominatum,paruum, & ſcurapola Venetis appellatū. tota hæc & pedibus & roſtro nigra eſt.Tertiū quod familiare Lydiæ ac Phrygiæ terræ, idemq; palmipes eſt.Aranei quoq; genus ex Ariſtotele & Dioſcoride quod lupi nomen accepit: partim exiguum,quod non texit:partim maius,quod aſperam paruamq; telam apud terram aut ſepes orditur, buculis intexere ſolitum,primordijs intus poſitis . obſeruat dum aliquid in tela offendens commouerit,mox accurrit ut capiat.partim uarium eſt, quod paucam uilemq; telam ſub arboribus facit.Poſt lupum aſello præcipuam fuiſſe authoritatem Plinius ex Cornelij Nepotis & Laberij poëtæ ſententia teſtatur.Eſt autem aſellus piſcis quem onon & oniſcon Græci uocant,duos in capite lapillos molari forma , & cor in uentre habens,ſolus omniū qui uētrem uariū habet. unde Epicharmus pœcilogaſtora uocauit. & diebus canicularibus latet,& ſolitarie uagatur ex Athenæo,dictus ſecundum Varronem à colore aſinino, unde aſellum uulgo etiam cognominant . Oppianus uerò non tantum à colore quantum ab eius etiam ignauia uel ſegnitia dictum exiſtimaſſe uidetur,qui eum ſegnem ſæpenumero appellat,boni nutrimenti,ut Galenus author eſt. Aſellorum duo habentur genera ex Plinio & Athenæo.unū callarias minor,qui & gallerias & galeridas uocatur ex Athenæo:qui non niſi in alto capitur,proptereaq; alteri generi præfertur,quē Ariſtotelem onon tanquam maiorem appellaſſe arbitror.Dorion onon ab oniſco dirimit, maiorē onon & gadum uocās:oniſcon uerò minorem gallariam ſiuè galeridam atq; maxinon ex Athenæo.Euthydemus aſellum ab alijs bacchum,ab alijs gallariam uocari tradit.de baccho Diphilus meminit his uerbis:Bacchus boni ſucci eſt, & malæ concoctionis: quem quidem oniſcon piſcem Aetius ad uitia interaneorum commendauit.oniſcos etiam Hippocrati uulnerarium inſtrumentum eſt ad luxata corporum. Aſellorum duo genera , callariæ minores,& bacchi) Hermolaus uidetur hoc loco dicere,poſſe etiam legi banchus, ſed ego potius bacchus quàm banchus legerem,tum ex uetuſtis codicibus,tum etiam Athenæo,Euthydemo atq; Diphilo,in quibus bacchum ſcriptum inuenimus,non banchum: ex eo fortè quòd aſinus (teſtante Plinio quarto & uiceſimo uolumine)dicatus eſt Libero,hoc eſt Baccho , ut Banchus alius omnino piſcis ſit,uti retulimus,inter mugiles minimus. At in lupis in amne capti præferūtur)Quidam corrigunt: At lupi in amne capti præferūtur. Nunc ſcaro datur principatus, qui ſolus piſcium dicitur ruminare,herbiſq; ueſci,non alijs piſcibus,mari carpathio maximè frequens) Græcis hodie etiam ſcarus uocatur : qui (ut author eſt Columella) totius Aſiæ Græciæq; littoribus Sicilia tenus frequentiſſimus,exit nunquam in liguſticum, nec per Gallias enauit ad Ibericum mare . Itaque ne ſi capti quidem perferantur in noſtra uiuaria , diuturni queant poſſideri.Poſtea uerò Optatus præfectus claſſis,Plinio Macrobioq; tradentibus,ſciens ſcarū adeo littoribus Italicis ignotū,ut nec nomē latinū eius piſcis haberetur,incredibilem ſcarorū

multitudinem

multitudinem uiuarijs nauibus huc adductam inter Oſtiã & Campaniæ littus in mare ſparſit,miroq́; ac nouo exemplo piſces in mari tãquam in terra fruges aliquas ſeminauit. Idemq́; tanquam ſumma in hoc utilitatis publicæ uerteretur,quinquennio dedit operam,ut ſi quis inter alios piſces ſcarum fortè cepiſſet,incolumem confeſtim & inuiolatum mari redderet, ut inde poſtea frequentes Italiæ littoribus inueniantur,non ante ibi capti. Antiquitus principatum tenuit.iecinore commendatur,ut in Vitellij patina commemorat Tranquillus ſcarorum iecinora. Martialis quoque,

Hic ſcarus æquoreis qui uenit obeſus ab undis, Viſceribus bonus eſt,cætera uile ſapit.

Epicharmus uerò quum ſcarum extollere maximè uellet,adeò bonum eſſe dixit, ut neq; etiã dijs fecẽ liceret eijcere.Hos in ſinu hermionico,ſiue ſaronico aut ſalaminio, in quo à dextris ſunt portus Pyræus nunc portus leo nuncupatus , & Athenæ in continenti ad nihilum deductæ,Sithines modo nominatæ:& in Helleſponto,qui hodie ſtrictus Calipolis appellatur, & Cydoniæ quæ nunc Canca uocatur,& alibi ſcaros frequentes uidimus , nullibi tamen q̃ in mari rubro frequẽtiores.Scarũ inquit Ouidius Plinij teſtimonio incluſum naſsis non frõte erumpere,nec infeſtis uiminibus caput inſerere,ſed auerſum caudæ ictibus crebris laxare fores,atq; retrorſum ita erumpere:quem luctatum eius ſi fortè alius ſcarus extrinſecus uideat, apprehenſa mordicus cauda adiuuare nixus erũpentis.quod ideo eum facere tradit Oppianus,ne ſi capite erumperet,oculos læderet:atq; hamo etiam defixum à ſocio redimi præroſa linea.Sunt autem ſcari authore Nicandro,alij oniæ,alij æoli cognominati , qui quanuis teneriores,duri tamen ſunt,ut author eſt Celſus.Diphilus uerò inquit,ſcarus eſt mollioris carnis, dulcis,leuis,ſtomacho idoneus.ex ſcaris autem recens ſuſpectus, quoniã lepores marinos uenando comedunt. Optatus Elipertius præfectus claſsis) Vetus lectio , Optatus ditius præfectus claſsis:ut fortè aperuerint d literã in e & l, ſcripſerintq́; Elitius , ac deinde Elipertius. Macrobius hunc nõ Elipertium,ſed Octauium pro Optatum tantummodo nominat: ut æſtimandum ſit. Proxima eſt his menſa generis duntaxat muſtellarum:quas,mirum dictu,inter alpes lacus quoq; Rhetiæ Bigrãtinus æmulas marinis generat) Vetus lectio brigantinus non bigrantinus habet.Ptolemæus Brigantiũ oppidũ in Rhetia non procul ab ortu Danubij eſſe poſuit:cuius populos brigantinos Strabo etiã appellauit, ut à brigantio brigantinus , non bigrantinus deducatur.Itemq́; murenis non marinis habet,hoc modo:lacus quoq; Rhetiæ brigantinus æmulas murenis generat,quaſi muſtellã murenæ ſuo ſimili,quæ tũc in maximo erat precio,comparauerit.Qui autem marinis legũt,muſtellas marinas eſſe fluuiatilibus & lacuſtribus meliores,inſigni mendacij uanitate dicere cogentur. Sunt enim muſtellæ piſces longi, tenues & lubrici,nunc uulgo lampetræ cognominati,ſine pinnis,murenæ ſimiles, colore nigricantes,brãchijs detectis inſtar foraminum,quæ ſeptem numero ex utroq; latere ſunt,roſtro ſciſſo contra quàm cæteri piſces habent:ſic fortè(ut opinor)appellatæ,quòd longæ ſint, & ſpinam chartilagneam ac branchias detectas , hoc eſt non intectas oſſeo operimento ut cæteri piſces habeant , quemadmodum galei , quos Theodorus muſtellos interpretatus eſt. Etenim galei ſunt piſes è genere chartilagineorum longi,qui ſpinam chartilagineã & branchias detectas obtinent , ſicuti ab Ariſtotele primo & ſecundo de hiſtoria , ac ſecundo & quarto de partibus animalium declaratur. Columella certè octauo de re ruſtica,uidas muſtellas appellauit, de qua etiam Auſonius ſic cecinit in Moſella:

Quæq; per Illyricum,per ſtagna binominis Hiſtri
Spumarum indicijs caperis muſtella natantum,
In noſtrum ſubuecta fretum,ne lata Moſellæ
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color? atra ſuperne
Puncta notant tergum,qua lutea circuit iris
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium fartim pingueſcis,at illinc
Vſque ſub extremam ſquallet cutis arida caudam.

Huius opinionis ex recentioribus Sypontinus author fuit,qui in ſuis commentarijs Cornucopiæ inſcriptis,ita loquitur:Muſtellæ in lacu Brigantino Rhetiæ murenis ferè ſimiles,& cæteros omnes piſces noſtra ætate excedentes precio, quas à lambendis petris nunc lampetras nominant.quam quidem opinionem præ cæteris puto ueriorem,maximè authoritate Auſonij,qui muſtellam pro lampetra examuſſim deſcripſit: & Herodoti ſcriptoris antiqui libro ſuæ hiſtoriæ quarto,ubi de Pœnorum paſtoraliū regione loquitur.Sunt præterea, inquit,muſtellæ,quæ in ſilphio naſcūtur,murenis ſimillimæ.Sunt etiam qui lampetram è genere murenarum eſſe uoluerunt,argumento,quòd lampetra pinnis careat.quod idem de murena Ariſtoteles de natura animalium libro primo teſtatus eſt,Piſcium,inquiens, alij pinnas duas tantum habent,qui longi & lubrici ſunt , ut anguillæ , ut congri . aut nullas omnino habent, ut murena.quod ſimiliter quarto de partibus animalium dixit, cuius quidem rei Plinius quoque meminit,ut mox dicemus.Mouentur præterea alia coniectura,quòd Plinius dixit in ſeptentrionali Gallia murenis omnibus dextera in maxilla ſeptenas perſpici maculas , pro foraminibus maculas interpretantes.Sed ij à uero maximè declinare uidentur,ut branchiarum ratio ſuadet.Caret enim murena brāchijs integris ex Ariſtotele ſecundo de hiſtoria , & Plinio hic inferius,quas lampetra,uti retulimus,detectas uelut chartilaginea obtinet : ut qui lampetras branchias habere neget,eas è murenarum eſſe genere fateri omnino neceſſe ſit,quum ex longis ouiperis nulli alteri generi præterquam murenis brāchiæ integræ deeſſe uideātur,eiſdem tradentibus authoribus.Præterea ſi maculæ illæ quæ murenis in maxilla dextra ſunt, foramina eſſent,Plinius neq; murenis ſeptentrionalis Galliæ tantum , neq; maxillæ dextræ duntaxat uiuentibus ineſſe maculas dixiſſet.Verùm qui muſtelam ſiue lampetrā pro eo capiunt qui galeos ab Ariſtotele dicitur,muſtelus à Theodoro tralatus, in errore non mediocri uerſantur:quippe cum galei qui è genere chartilagineo ſunt,nō oua ut lampetra, ſed animal pariant,tum Plinio,tum maximè Ariſtotele ſecundo de hiſtoria tradente. Pariūt oua omnes qui ſquamma conteguntur,animal omnes qui genere chartilagineo continētur,excepta rana:quod etiam lib.6.meminit.Galei,inquit,id eſt muſteli,genuſq; omne muſtelinum,ut uulpecula,ut canis:& plani,ut torpedo,raia,leuiraia,paſtinaca,modo quo dicimus gignūt animal, cum intra ſe oua pepererint. & quarto de partibus animaliū:Chartilaginea & uiperæ animal edunt in lucem,ubi primum intra ſe oua pepererint.Etenim primum hæc ouum concipiunt,deinde ouo in uentre diſrupto animal excludūt,uti primo de hiſtoria etiam teſtatur his uerbis: Animaliū ergo quæ animal generant,aut oua intra ſe prius conficiunt,ut chartilaginea:aut illico animal intra ſe firmant,ut homo,ut equus.Quam ob rem muſtela , cum oua ſolum non animal excludat,

cludat, cum galeis chartilagineis admiſcenda non erit. & eo quidem magis ab hac ſententia temperare debuiſſent, quòd muſtelas brãchias habere negauerint, quibus Ariſtoteles libro de hiſtoria primo, galeos præditos eſſe affirmauerit his uerbis: Alteris brãchiæ detectæ ut galeo, hoc eſt muſtelo, raiæ, reliquisq; generis eiuſdem. & ſecundo etiam eiuſdem hiſtoriæ, Qui autem brãchias habẽt, aut intectas continent eas, aut detectas, ut chartilaginea genera omnia. Simili modo coarguuntur quando biceſium pro lampetra galeum aſteriam uocatum intellexiſſe dicunt. nam galeos aſterias eſt, quem Theodorus muſtelum ſtellarem latinitate donauit, inter chartilagineos, ut dictum eſt, animal parientes, cute aſpera, nigris ſtellata maculis, nunc à Venetis piſcis cattus cognominatus. muſtelam igitur, non galeon à Græcis, tum rationibus antedictis, tum etiam quòd galeos non proprium nomen ſit piſcis, ſed genus ad omnes piſces chartilagineos longos, ut uulpeculam, caniculam, hinnulum, ſpinacem, ſtellarẽ, & reliqua generis eiuſdem: ſed galen (ut author eſt Herodotus) potius appellandum interpretandi ratio depoſceret: non alia de cauſſa niſi ob eam quam cum muſtelis ſiue galeis habet, uti retulimus, conuenientiam & affinitatem. Iis igitur confutatis opinionibus, dicamus unà cum Sypontino muſtelam eſſe, quam modo lampetram uocant. Eſt enim muſtela terreſtre animal quadrupes, cuius genera duo ſunt, alterum ſcilicet domeſticum, alterum ſylueſtre. Muſtelam uulgarem, quæ in domibus noſtris oberrat, Græci galen catœcidion appellant. Hæc muſculos in domibus noſtris uenatur, felium modo. Theodorus tamen galen interdum muſtelam, interdum cattum interpretatur. nec quam ob rem ita uerterit, ſatis conijcere poſſum, cum cattum Græci æluron, & latini felem appellent, uti ipſe etiam tranſtulit. Plinius namq; libro decimo ita ait: Feles autem quo ſilentio, quàm leuibus ueſtigijs obrepunt auibus? quàm occulto ſpeculatu in muſculos exiliunt? excrementa ſua effoſſa obruunt terra, intelligentes odorem illum indicem ſui eſſe. Ex reliqua nobilitate & gratia maxima eſt & copia mullis) Mullus piſcis eſt modicæ magnitudinis, gemina barba in inferiori labro, ſquammis pallentibus, ſeu ad uiridinem uergentibus, uirgis quibuſdam aureis parallelis: qui ſi uiuus deſquammetur, colorem ſanguineum recipit. Scribitur mullus piſcis cum duplici l, cum à colore mulleorum, ut putat Feneſtella, illi ſit nomen inditum. Mulleus enim erat (ut Feſtus inquit) genus calceorum quibus reges Albanorum primi, deinde patricij, uſi fuerant. M. Cato originum libro ſeptimo: Qui magiſtratum curulem cepiſſet, calceos mulleos alutatos, cæteri perones. Item Titinnius in Seciana: Iam cum mulleis te oſtendiſti, quos tibiatis in calceos: quos putant à mullando, id eſt ſuendo dictos. Vopiſcus in Aureliano, Calceos, inquit, mulleos, & cereos & albos & hederaceos uiris omnibus ſuſtulit, mulieribus reliquit. Mullum Græci Triglen geneatida, hoc eſt barbatum uocant. hinc Cicero in paradoxis barbatulos, & Varro tertio de re ruſtica, barbatos mullos appellarunt. Veneti barbonem à gemina barba illa cognominant. Trigla autem à græcis appellatur, non quia triformis ſit, ut quidam recentiores aiunt, ſed quòd ter pariat in anno, ex Athenæo Oppianóque. Ariſtoteles quoque quanto de hiſtoria, ex piſcibus ſolum mullum dixit ter anno parere. quod item Plinius meminit hoc libro. Fuit mullus apud antiquos maximæ nobilitatis & gratiæ. Aſinius Celer temporibus Claudij mullum octo millibus nummûm, hoc eſt ducentis aureis emit, qui binas libras ponderis raro ſuperat, ut Martiali unà cum Plinio uidetur, his uerſibus:

Nolo mihi ponas rhombum, mullumq; bilibrem.

Horatius autẽ dixit: Laudas inſane trilibrem mullum. Seneca uerò lib. 15. epiſt. Mullum quatuor librarum pondo Tyberio imperatori donatum: quem in macellum cum deferri & uenire iuſsiſſet, ab Octauio quinq; ſeſtertijs emptum fuiſſe ſcribit. Iuuenalis quoq; mullum ſex librarum ponderis fuiſſe, ſexq; millibus ſeſtertijs emptum commemorat. octoginta tamen librarum mullum in mari rubro captum Licinius Mutianus prodidit. Laudatiſsimi qui, ut inquit Plinius, conchylium ſapiunt, ubi fortè concha fuerit cibus. Mulli nanq; & carne ueſcuntur, & alga & cõcha & cœno, ex Ariſtotele octauo de hiſtoria. ſed & putrida & humana cadauera inſectãtur ex Oppiano, quod haud uerum exiſtimo. Antiphanes enim in Butalione piſces paruos commendat, magnosq; damnat, quia homines deuorant, & propterea dixit mullos & mænas Helenæ fuiſſe cibos, quòd homines non inſectarentur. Vigent autumno, quos & maritimis lacubus gigni apertũ eſt. Mullorum plura ſunt genera, authore Plinio. Ariſtoteles de mullis duntaxat littoralibus fuiſſe locutus uidetur, quibus Plinius gratiã ſaporis ineſſe negauit. Qui enim ex eo genere, inquit, uiliſsimus eſt, lutariũ nominant. hunc ſemper comitatur ſargus alius piſcis: & illo cœnum fodiente, hic excitatũ pabulum deuorat. Quidã hunc non lutarium, ſed alutarum appellare malunt: ipſe lutarium potius, partim ex uetuſtis exemplaribus omnibus, partim cum uiliſsimi ſit generis, & cœnum Ariſtotele & Plinio tradentibus fodiat, unà cum Hermolao appellandum eſſe cenſerem. Ariſtoteles nanq; lib. de hiſtoria octauo inquit, ſargus mulli reliquias ſequitur. Nam ubi ille luto excitato abijt (fodere enim poteſt) hic deſcendit & paſcitur, imbecilliores q; ne eodem adnatent, arcet. Mullum piſcem Proſerpinæ, item Dianæ ſacrũ fecere Græci, ut citharon Apollini, Mercurio bocas, Libero patri cittulum, apuam Veneri, Neptuno pompilum. Diphilus, ut ſcribit Athenæus, mullum dixit ſtomacho prodeſſe, durioris carnis, difficilis corruptionis: aluum ſiſtere, præcipuè ſi in prunis decoquatur: ſi uerò in frixorio, grauem eſſe, difficileq; cõcoqui. Celſus boni ſucci, atq; medios inter teneros durosq; piſces mullos eſſe teſtatur, Galeno etiam id ferè aſſeuerãte libro de uirtute alimẽtorum tertio. Athenæus inquit, ſi mullus piſcis uiuens ſuffocatus fuerit in uino, & uir biberit, non poterit agere rem ueneream, ut Terpſides narrat: & mulier ſi de eodem uino potauerit, fiet infœcunda. Mullorum frequenti cibo aciem oculorum hebetari Dioſcorides monuit. Itemq; contra morſus draconis marini, ſcorpionis & aranei recentes diuulſos impoſitos remedio eſſe. Marcellus uerò in ſuo Dioſcoride, ubi de mullo piſce agitur, Hermolaum accuſat, quòd ibi mullus recens, non crudus uerterit, exiſtimans in omnibus exemplaribus Græcis eodem modo legendũ eſſe, quo in ſuo deprauate legitur: & quod non eſt leue, inquit, in medicina periculum, ſi crudum & recens promiſcua ſignificatione miſceãtur. Ad quod dicimus nos: quinimmo ſi crudus uertiſſet, non leue fuiſſet in medicina periculum, cum crudum tam recens quàm ſalſum comprehẽdat. At recens etſi crudum etiam comprehendit, ſalſum attamen excludit. etenim Celſus piſces recentes ad differentiam ſalſorum libro ſecundo appellauit. Mulli autem piſces non ſalſi ſed recentes contra uenena in medicina admittuntur, ex indicio Plinij libro. 32. dicentis: Mulli recentis è capite cinis contra omnia uenena. & per ea quæ dixit contra omnia uenena, poſſumus intelligere tam contra ſcorpiones, & dracones & araneos, quàm cõtra cætera alia uenena. melius igitur recẽs quàm crudus Barbarus interpretatus eſt. Labitur ſæpenumero Marcellus, quia illum ſuum deprauatum codicem & Ruellium nimium adamauit, & Hermolao neſcio quo malo genio infeſtior.

M. Apicius

M. Apicius ad omnem luxum ingenio mirus, in ſociorum garo (nam ea quoque res cognomen inuenit) necari eos præcellens putauit.) Et nos quoq; in antiquis exemplaribus ita ſcriptum inuenimus, ad omnem luxum ingenio mirus. Garus autem, authore Plinio, liquor erat qui ex inteſtinis piſcium præcipue ſcombrorum ſale maceratis fiebat, laudatiſsimus in finibus Carthaginis ſpartariæ & cetarijs, quem garum ſociorum appellabant: quod & Strabo affirmat. Herculis, inquit, inſula obiacet Carthagini, ſcombraria uocata, quòd ibi ſcombri copioſiſsime capiantur: ex quibus optimum garum conficitur, dictum quòd ex extis gari piſcis conficebat, quod ex carnibus etiam ex Dioſcoride fieri ſolebat, latinóque nomine uacat. nec liquor ferè ullus, præter unguenta, in maiore precio erat. ab hoc autẽ differt alex, quòd imperfecta, nec colata fex ſit. Horatius, quo fece primus & alex. de quo Plautus, Plinius & Flaccus meminere. A garo differt etiam halme. Garum enim ſanies inteſtinorum piſcium eſt, halme uero muries & ſalſugo piſcium inueteratorum: hoc eſt ius ſalſum in quo ſeruantur, quam uulgo ſalimuriam appellant. ex aceto quoq; & muria fit quod oxalme dicitur: ſicut apud Cratinum ex allio & muria ſcorodalme. *Aſinius Celer è cõſularibus hoc piſce prodigus Claudio principe unum mercatus octo millibus nummũm.)* Macrobius non octo millibus, ſed ſeptem millibus nummũm inquit mullum ab Aſinio emptum fuiſſe: cuius uerba hæc ſunt. Aſinius Celer uir conſularis (ut idem Sammonicus refert) mullum unum ſeptem millibus nummũm mercatus eſt. ut in alterutro ſit menda.

EX CAPITE XVIII.

Coracinus in Aegypto.) Plinius cum ſuperius de coracino marino peregiſſet, conſequenter hoc loco diſſerit de fluuiatili, quem Alexandrei platiſtaton & platacam appellauere, & multi ſaperdem, Euthydemo & Heracleone Epheſio teſtantibus, unde & Parmenon Rhodius inquit, qui ſaperdes uocatur platiſtatos, quemadmodum & coracinus ex Athenæo. Verum differunt quidem genere coracini fluuiatiles à marinis, quod ex Strabonis & Ariſtoboli uerbis conijcitur. Ita enim Strabo decimoſeptimo libro loquitur: Piſces in Nilo permulti ſunt ac diuerſi, qui propriam quandam & ſuam formam habẽt, ſed maxime noti ſunt oxyrynchus & lepidotus, & latus & alabes & coracinus & porcus & phagorius, quem etiã phagrum uocant. Item ſilurus & citharus & aloſa & mugil: ex teſtaceis dilychnus, phyſa, bos: item cochliæ ingentes, quæ uocem ululatui ſimilem edunt. Poſtea paulò pòſt inquit ex opinione Ariſtoboli, nullum piſcem ex mari aſcendere præter mugilem, aloſam & Delphinum propter crocodilos. Quare cum coracinum è mari non ſubire Nilum, & in eo tamen reperiri cõſtet, coracinus marinus erit ab eo qui fluuiatilis eſt, ſpecie omnino diſtinctus, quẽadmodum & perca. nam eius duo genera etiam diuerſa ſunt, alterum ſcilicet marinum, alterum fluuiatile. De coracino marino Ariſtoteles, Plinius, cæteri græci: hodie coraca nominãt.

Zeus idem faber appellatus Gadibus.) Quidam confundunt zeum, ſiue quod idem eſt fabrum piſcem cum coracino, eundem eſſe uolentes, utpote qui Plinij uerba hoc modo perperã interpretati fuerint, Coracinus in Aegypto. Zeus idem, ſcilicet Coracinus, qui & faber Gadibus appellatur. qui quidem ſenſus peruerſus eſt, & præter intentionem Plinij, qui libro trigeſimoſecundo coracinum à zeo ſiue fabro aperte diſtinxerit. Verus tamen ſenſus Plinij talis eſt, Coracinus in Aegypto principatum inter piſces obtinet: ſimiliter zeus, qui & faber appellatur, obtinet principatum Gadibus. in cuius noſtræ interpretationis teſtimoniũ addu-

cemus Columellam octauo de re ruſtica dicentem, Rurſus optime ſaxoſum mare nominis ſui piſces nutrit, qui ſcilicet quòd in petris ſtabulentur, ſaxatiles dicti ſunt, ut merulæ turdique, nec minus melanuri. Atque ut littorum ſic & fretorum differentias noſſe oportet, ne nos alienigenæ piſces decipiant. non enim omni mari poteſt omnis eſſe: ut helops qui Pamphylio profundo, nec alio paſcitur: ut Atlantico faber, qui & in noſtro Gadium municipio genero-ſiſsimis piſcibus adnumeratur, cúmque priſca conſuetudine zeum appellamus, & cætera. qui item fabrum à colore atræ fuliginis minus recte appellari prodidere, in ſenſu uerborum Oppiani forte decepti, libro primo halieuticon dictis, ut Lippij utar interpretatione, haud mediusfidius uſquequaque aſpernanda, Et faber, & nigro cui nomina dicta colore, Hæc coracinus habet. quæ uerba non ad fabrum ſed ad coracinum referenda ſunt. Hi enim crediderant ut zeus piſcis faber diceretur à ſimilitudine fabri ferrarij, qui fuliginoſus eſt. Eſt autem zeus ſiue faber, piſcis ſpecie orbiculari, Cyzici frequens, quem chalceum Græci uocant ex Athenæo. Circa Ebuſum ſalpa, obſcœnus alibi, & qui nuſquam percoqui poſsit niſi ferula uerberatus.) Salpa piſcis circa Ebuſum inſulam quæ nunc Euizza uocatur, ſapore commendatur, cum alibi ſit obſcœnus, id eſt perincioſus & uitabilis. Diphilus uerò inquit, Salpa dura, inſuauis: melior tamen quæ in Alexandria eſt, & autumno nata. humidum enim quid & album emittit. & eſt ſalpa quæ nunc quoque ſalpa uulgo nominatur, pedalis magnitudinis, quæ uirgis quibuſdam aureis & rubentibus ſecundum longitudinem deſcribitur, & ut inquit Epicharmus, dentata. parit ſemel in anno, uidelicet autumno, paulò ante æquinoctium ex Ariſtotele quanto de hiſtoria, Athenæo & Plinio. ſtercore & alga ueſcitur. porrum etiam petit, & cucurbita capitur, quod ex omnibus uni euenit: quam maritimis etiam lacubus generari tradidit. Huic certe ſimilis naſcitur in mari rubro piſcis ſtromateus appellatus, ut Philon narrat, uirgas habens per totum corpus extenſas, auri ſpeciem referentes. In Aquitania ſalmo fluuiatilis marinis omnibus præfertur.) Salmo piſcis eſt fluuiatilis ſquammoſus, truttæ ſimilis, carne interius rubra ſuauiſsima ac lautiſsima. nullum enim piſcem uel marinum uel fluuiatilem ſalmone meliorem unquam comedimus, ut mea etiam ſententia marinis & fluuiatilibus omnibus ſit merito præferendus. optimi in Rhodano & Vultauia terræ Bohemiæ fluuio, qui Pragam per medium diuidens in Albim fluuium defluit. Capiuntur etiam optimi, ſed grandiſsimi in Rheno Germaniæ amne. nam ad quinque & ſex palmorum longitudinem perueniunt. Piſcium alij branchias multiplices habent, alij ſimplices, alij duplices.) Intellexit de piſcibus pulmone carentibus, & qui proportione ſpirationis humore utuntur. hi enim branchias habent, de quibus Ariſtoteles ſecũdo de hiſtoria ſic loquitur: Item branchiatorum ipſorum alijs ſimplices branchiæ ſunt, alijs duplices. omnibus tamen ſimplex, quæ nouiſsima corpori admota eſt: & alijs paucæ, alijs multæ, uerum in utrunque latus æque partitæ omnibus ſunt. habent quibus pauciſsimæ ſunt, ſingulas branchias utrinque: eaſq; duplices, ut aper. alijs binæ utrinq;, alteræ ſimplices, alteræ duplices, ut congro, ut ſcaro. alijs quaternæ utrinque ſimplices, ut elopi, dentici, murenæ, anguillæ. alijs quaternæ duplici ordine, nouiſsima excepta, ut turdo, percæ, ſiluro, cyprino. Muſteligenis etiam duplices & quinæ utraque ex parte ſunt: gladio à roſtri mucrone ita appellato, octonæ duplices. Chartilagineis autem omnibus branchiæ detectæ ſunt. non enim ſpineo operimẽto integuntur, ut quæ non chartilaginea ſunt, ſed cuticulari. quarum omniũ rerum quarto de partibus

animalium

animalium cauſſas reddit his uerbis: Quæ autem branchias habent, aut intectas gerunt, aut detectas, ut genus omne chartilagineũ. cauſſa eſt, quòd chartilagine tum branchiæ, tum earũ tegmenta conſtant. genus autẽ hoc omne chartilagineã habet ſpinam. Motus etiam chartilaginei generis lentus pigerq́; eſt, quoniam non ſpina aut neruo corroboratur. contrà genus ſpinatum celeriter fertur. tegmentum autem quod branchias operiat, celeriter moueri oportet, cum branchiarum natura quaſi ad ſpirandi uſum piſcibus data ſit. quamobrem in ſpinatis non modo tegmentum, uerumetiam ipſi branchiarum meatus contrahuntur, ut celerius agatur. Habent branchias alij multas, alij paucas, & alij duplices, alij ſimplices, ſed nouiſſimam ſimplicem magna ex parte. uerum cognitio diligentius ex conſectionibus commentationéque animalium petenda eſt. Cauſſa copiæ & inopiæ branchiarum, caloris cordi inſiti copia aut inopia eſt. in quibus enim plus ineſt caloris, hæc celerius moueri oportet & uehementius. geminæ autem branchiæ atque duplices talem naturam potius quàm ſimplices paucioréſque obtinent. unde fit ut nonnulli ex ijs qui branchias habent pauciores minúſque continentes, diu extra aquam uiuere poſſint, ut anguilla, & quicunque ſerpentis ſpeciem referunt. non enim multum refrigerationis deſiderant. His aquam acceptam ore remittunt.) Videtur legendum eſſe: His aquam ore acceptam remittunt. uel ſaltem ut ſtatim poſt uerbum ore, interpungatur uirgula ſuſpenſiua, hoc modo: His aquam acceptam ore, remittunt. non enim branchijs aquam accipiunt, & ore remittunt, ſed contrà potius ore aquam accipiunt, & branchijs remittunt. uerbum remittunt, id etiam declarat. nam remittere proprie ſignificat retromittere. Ariſtoteles quoque ſecundo de hiſtoria inquit, Piſces igitur (ut modo dixi) nec mammas habent, neque meatum genitalium ullum intus conſpicuum: branchias autem rem habent peculiarem, quibus humorem quem ore acceperint, reddunt: quod faciunt quum appetunt refrigerari. Senectutis indicium ſquammarum duritia, quæ non ſunt omnibus ſimiles.) Ariſtoteles tertio de hiſtoria, & quinto de generatione animalium: Piſcibus quoque, inquit, extenuatis ac ſeneſcentibus, & natu grandioribus ſquammæ duriores craſſioréſque efficiuntur. cutes enim duriores craſſioréſque redduntur ſeneſcente ætate. reſiccantur enim. Et quidem ſenectus ipſa, ut nomen ſignificat, terrena eſt, quoniam ſine calore eſt: quæ quidem ſquammæ præ rigiditate tenuitatéque deſiſtentes, ſumma corporis occupant.

EX CAPITE XIX.

Miratur Arcadia ſuum exocœtũ, appellatum ab eo quòd in ſiccum ſomni cauſſa exeat. circa Clitorium uocalis hic traditur, & ſine branchijs, idem aliquibus adonis dictus.) Dicitur exocœtus ab ἔξω & κοίτη, quaſi in ſiccum exiens cubandi gratia: qui & adonis, ut inquit Clearchus, Plinius & Athenæus, appellatur, ſemipedali magnitudine conſtat, forma tereti, colore ſubfuluo. linea ſiue uirga ſingularis alba à branchijs aduſque caudam ex utroq; latere trahitur. circa ſaxoſa loca uictitat, qui cum tranquillitas fuerit, in ſaxum aliquod exilit, ubi diu apricatur & dormit: qui ubi ſatis requieuerit, eo ſeſe uoluendo applicat, ubi allidit unda, ut ab eius refluxu exceptus in mare poſtmodum deferatur. cauet etiam aues quæ mari trãquillo littoribus aduolãt, ut trochylus, carulus & elorius creci ſimilis, quas ubi aſpexerit, illico deijcit ſe in profundum, quod Oppianus etiam libro primo tradit. Mnaſeas Patrenſis piſces quoſdã in Clitorio amne uocales eſſe cõmemorat, exocœtos ut arbitror intelligens. Exocœtum in Arcadia, ut nos interrogauimus, lychnon modo uocitant. Sunt præterea.

& alij piſces qui uocales exiſtimantur, ut lyra, chromis. Aper etiã piſcis, quem amnis Achelous gignit, chalcis & cuculus ex Ariſtotele quarto de hiſtoria. & Philoſtephanus Cyrenæus in Aorno fluuio, qui per Pheneum fluit, piſces eſſe qui uocem turdorum ſimilem edant, uocariq; uarios meminit. Clearchus item circa Clitorium in Ladone amne piſces eſſe uocales enarrat. Exeunt in terram & qui marini mures uocantur.) Per marinos mures marinas teſtudines intellexit, ut ſuperius indicauimus. quod item inferius repetit cum dicit: mus marinus in terra ſcrobe effoſſa parit oua, & rurſus obruit terra: triceſimo die refoſſa aperit, fœtumq; in aquam ducit. Ariſtoteles teſtudinem non marinam, ſed quam lutariam uocãt, id facere quinto de hiſtoria teſtari uidetur. Mus, inquit, aquatilis, ſiue teſtudo lutaria, ut Theodori uerbis utar, in terra ſcrobe effoſſa dolij amplitudine parit oua: quæ deſerit terra obruta, dieq; triceſimo repetit, refoſſaq; aperit, fœtumq́; continuo ducit in aquam: ut Plinius teſtudinem lutariam inaduertenter pro marina accepiſſe uideatur: tametſi non ignorem & marinam teſtudinem oua parere in terra, ex eodem Ariſtotele ibidem dicente, Teſtudines etiã marinæ egreſſæ in terram, pariunt oua auium cortalium ouis ſimilia, & defoſſa coopertáque incubant noctibus. ouorum numerus maximus eſt, nam ad centena pariũt oua. quod item Plinius ſupra de marinis retulit. inquit enim: in terram egreſſæ in herbis pariunt oua auium ouis ſimilia, ad centena numero: eaq́; defoſſa extra aquas, & cooperta terra, ac pauita pectore & complanata incubant noctibus. educant fœtus annuo ſpatio. ubi non triceſimo die repetere, refoſſaq́; aperire, fœtumq́; continuo ducere in aquam, uti inferius: ſed annuo ſpatio fœtus educare dixit, quod Ariſtoteles terreſtri teſtudini contribuit, eodem loco dicens: Teſtudo oua durioris teſtæ & bicolora edit, quale ouum auium eſt: eaq́; defoſſa & cooperta terra, ac pauita & complanata incubat, crebrius repetens, fœtumq; ſequente anno excludit. Sunt & animalia complura muris nomine appellata, ut mus araneus: os ei oblongum, cauda gracilis, dentes quadruplici uerſu tenues, quod & uulnus indicat. ex eo purus ſtatim ſanguis effluit, mox ſanioſus: tum puſtulæ inſurgunt. eſtq́; morſus periculoſior quem grauida defixerit. puſtulæ enim rumpuntur, ex quo interitus ſequitur. ſed ſi non grauida eſt, non interimit, ut Ariſtoteles, Dioſcorides & Aetius ſcripſere. Sunt etiam ſciuri, ſchirati uulgo dicti, quibus uillosior cauda pro umbra & tegmento eſt, pilo nigro, & interim ferrugineo, & reſident in clunes, prioribusq́; pedibus ut manibus utuntur, atque illis cibos ad os admouent. author eſt Plinius. Sed & mures quoſdam ſylueſtres magnitudine muris, & ſpecie muſtellina, colore ceu uirides, per campos uagantes, & foramina ſubeuntes in Pannonia conſpeximus. Et polypi & murenæ.) Ariſtoteles nono de hiſtoria: Mollium, inquit, unus polypus exit in ſiccum, graditur per aſperiora, uitat leuia. ualidum quum cæteris ſuis partibus hoc animal ſit, collo tamen imbecille cum premitur eſt. In quinto autem libro inquit, exeunt murenæ in terram, & ſæpe in ea capiuntur. Quin & in Indiæ fluminibus certum genus piſcium, ac deinde reſilit: nam ſtagna & amnes tranſeunt.) Theophraſtus, ut teſtatur Athenæus, inquit apud Indos piſces ex fluminibus in terram exire, rurſusque in aquam reſilire ranarum more, qui forma ſunt marinis proxima.

EX CAPITE XX.

Marinorum alij ſunt plani, ut rhombi, ſoleæ ac paſſeres, qui à rhombis ſitu tantum corporum differunt: dexter reſupinatus eſt illis, paſſeri leuus.) Plani piſces, qui lati etiam appellantur,

pellantur,ſunt qui parte prona ſupinâque plana conſtant, & in latera dilatantur: quorum quidem ſpina ea media à capite in caudam procurrens,radios illos non ad pronam & ſupinam partem,ſed ad latera emittit,ut in ſpinatis cernitur:cuiuſmodi rhombi ac paſſeres ſunt. nam aliud planorum piſcium genus eſt,quod pro ſpina chartilaginem habet,ut raia, paſtinaca,torpedo,& reliqua generis eiuſdem,de quibus infra pertractat Plinius: nunc de planis ſpinatis mentionem facit,dicens quòd paſſeres à rhombis ſitu tantum corporum differunt.nam ſi rhombos in latus componas,ita ut oculi cœlum ſuſpiciant, & mentum terram deſpiciat,pars ſupina dextra erit.ſed ſi paſſeres eodem modo componas,ſupina pars erit læua.Rhombi enim econtrario quàm paſſeres capita tenent.Eſt igitur rhombus piſcis planus paſſeri ſimilis,ſed amplior,oſſa quædam rotunda aculeata habens, qualia & amiæ ineſſe cernuntur.Rhombus græca uox eſt:ſignificatq́; proprie figuram quadratam ſolidam, cuius latera omnia ſunt æqualia,anguli uerò omnes obliqui, hoc modo <> Hic rhombus ſi in terra iactetur,uoluitur ad ſimilitudinem inſtrumenti illius fuſi uocati, quod mulieres nendo digitis uoluunt.Vtebantur eo maleficæ mulieres, quibus maximè Theſſalia abundat,ad deducendam lunam.Martialis,

Quæ nunc Theſſalico lunam deducere rhombo. Idem,
Numerare quis pigri damna poſſit ſomni,
Dicere quot æra uerberent manus urbis,
Cum ſecta Colcho luna uapulat rhombo?

Solebant quippe ueneficæ mulieres ad deducendam lunam æra percutere.Ouidius de anu lunam deducente: Themeſæaq́; concutit æra. Theocritus in æcloga quam pharmaceutriã inſcripſit,mulierẽ maleficam inducit amore adoleſcentis captam,inter multa alia quibus allicere ſibi amantem conabatur,hoc rhombo uſam fuiſſe.ut rhombus iſte(inquit)æneus uertitur,ita uertatur meus amans ad meas fores.Quamobrem Theodorus,qui Græcis latina nomina reddere conſueuit,Pſettam in Ariſtotele non rhombum græco uti Plinius,ſed paſſerem latino nomine cõuertit,præſertim cum animaduerteret pſettam quaſi genus eſſe rhombo & paſſeri apud Ariſtotelem, qui rhombum nuſquam nominat. nam ubi pſettas nono de hiſtoria animalium arena ſeſe obruere inquit,Theodorus paſſeres interpretatus eſt,quæ uerba Plinius mutuatus inferius hoc libro rhombum conuertit,dicens:Simili modo ſquatina & rhombus abditi pinnas exertas mouent,ſpecie uermiculorum.Proindeq́; Athenæus,quem græci,inquit,pſittam,Romani rhombum appellant.Quapropter Lynceus Samius cum in epiſtolis inquit pulcherrimas eſſe pſittas circa Eleuſina Atticæ,rhombos intelligit.Plani piſces huiuſmodi in limoſis proueniunt. Columella libro de re ruſtica octauo:limoſa,inquit, regio planum educat piſcem,uelut ſoleã, rhombum,paſſerem. qui etſi teneriores,inquit Celſus,duri tamen ſunt. Diphilus uero ait, pſitta & bugloſſos boni alimenti ſunt & ſuaues.horum naturam ſequitur rhombus.Paſſeres plani piſces rhombis ſimiles,trita etiamnum uoce à colore paſſerum auium paſſeres dicti ſunt.parte enim ſupina candidi,prona uero terrei coloris ut paſſeres aues ſunt,qui noctu facilius quàm interdiu à piſcatoribus capiuntur.Paſſer autem auis ſtruthion græcè dicitur. Et ſtruthion etiã herba eſt,quæ radicula & lanaria latinis eſt appellata:de qua Theophraſtus,Celſus & Dioſcorides meminerunt.Sed Plinius cæteris plenius eam libro decimonono deſcripſit his uerbis.At quæ uocatur radicula, lauandis demum lanis ſuccum habet, mirum

quantum conſerens candore mollitiáque.æque naſcitur ſatiua ubique:ſed ſponte præcipua in Aſia Syriaq; ſaxoſis & aſperis locis,trans Euphratem tamen laudatiſsima,caule ferulaceo tenui,& ipſo cibis indigenarum expetito,& tingenti quicquid ſit cum quo decoquatur, ſolio oleæ.Struthion græci uocant, floret æſtate, grata aſpectu, uerum ſine odore,ſpinoſa, & caule lanuginoſo.Semen ei nullum,radix magna,quæ conciditur ad quẽ dictum eſt uſum. Sed de ſtruthio libro etiam 24.Plinius ipſe meminit.Tingentibus,inquit, & radicula ramos præparat,quam ſtruthion uocari diximus à græcis. de qua etiam libro 25.loquitur:ubi non ramos præparat,ſed lanas præparat,eſt legendum:ut Dominicus Sennus uir doctiſsimus caſtigauit.Eſt enim modus loquendi Plinij,ut libro 22.de radice anchuſæ,Præparat,inquit,lanas precioſis coloribus.Quamobrem Marcellus Dioſcoridis interpres ſi locum hunc deprauatum animaduertiſſet,uerbis Plinij ſenſum falſum non attribuiſſet. Alij longi,ut murena,conger.)alij,ſupple marinorum piſcium,longi ſunt,ut murena,conger. Ideo pinnarum quoque fiunt diſcrimina,quæ pedum uice datæ ſunt piſcibus.)Vt uolatilibus alæ, ut terreſtribus pedes,ita pinnæ piſcibus datæ ſunt. Nullis ſuper quinas.) Legendum arbitror, nullis ſupra quaternas,ex Ariſtotele,à quo Plinius accepiſſe uidetur. primo nanque de hiſtoria inquit, Quæ autem in genere natante pedibus carent,hæc aut pinnis natant,ut piſces, quorum alij quaternas,binas ſcilicet parte prona,& binas ſupina habent,ut aurata, ut lupus. & libro etiam eiuſdem hiſtoriæ ſecundo.Piſces igitur,ut modo dixi,nec mammas habent, neque meatum genitalium ullum conſpicuum:branchias autem rem habent peculiarem, quibus humorem quem ore acceperint,reddunt:atque etiam pinnas,quas magna ex parte quaternas gerunt.attamen longis binæ iuxta branchias hærẽt:mugilibus etiam quos lacus Sypharum gignit,binæ:atque etiam ei quam uittam appellant.nonnullis è longis nullæ omnino ſunt pinnæ,ut murenæ:nec branchiæ integræ ut cæteris piſcibus habentur.Et quarto de part.anim. Piſces,inquit,qui non lati ſunt modo raiæ,aut paſtinacæ, quaternas pinnulas habent, binas parte prona,& binas ſupina.neque eſt qui habeat plures.ſanguine enim careret.binas quæ parte prona lateribus geruntur,omnes fere habent:reliquis quæ ſubditæ ſunt,carent nonnulli ex longis & corpulentis,ut anguilla,ut conger,& mugilum genus, quod in lacu Syphariũ naſcitur.quod ratione etiam probatur.nam ſi pinnæ uice pedum,ut ipſe Plinius inquit,piſcibus datæ ſint,pedesq́; animalia quæcunq; ambulant, pari numero poſsideant ex Ariſtotele de natura animalium libro primo: ita pinnas numero pari, non impari, piſces habere ſecundum naturam erit:quod etiam confirmatur ex uerbis ipſius Ariſtotelis paulò infrà dicentis:Omnia quæ ſe mouent,aut quaternis notis mouẽtur,aut pluribus. Quaternis tantum,quæ habent ſanguinem:ut homines binis manibus, binisq́; pedibus,aues:binis alis,& binis pedibus.Quadrupedes pedibus quaternis,piſces pinnis quaternis.nam & quæ pinnis aut non amplius binis,aut nullis ut ſerpentes utuntur,quaternis ea quoq; notis nihilominus mouentur.flexus enim quaterni ijs aguntur,aut bini cum pinnis binis.quod etiam decima ſectione problematum meminit.Si quis autem Ariſtotelẽ in quarto de hiſtoria locuſtas caudam habere,pinnasq́; quinas eidem inhærere,tradidiſſe allegaret: dicendũ quòd Plinius non intellexit hoc loco de piſcibus cruſta intectis,qui ſanguine carent,& pedibus ambulant:ſed de ijs qui ſanguinis compotes ſint,& uice pedum pinnas obtineant. nam piſces qui ſanguine carent,ut locuſtæ,abſq; dubio quinas habent:nec uice pedũ,cum pedes obtineãt,pinnas habẽt,ut paulò ante

ante retulimus ex ſententia Ariſtotelis *in quarto de partibus animalium, cum dixit:* Neque eſt *qui habeat plures quàm quatuor: ſanguine enim careret.* Quibuſdam binæ, quibuſdam trinæ, aliquibus nullæ.) Verba *quibuſdam trinæ, puto eſſe addititia. nullus enim piſcis eſt qui pinnis aut quinis aut trinis natet, eiſdem rationibus nuper aſsignatis: quod neq; ullus unquã tradidit.* Nam *piſces pinnis impari numero natare præter naturam eſſet. propterea expungenda ſunt, atq; ita legendum: quibuſdam binæ, aliquibus nullæ.* Verum *quibus pinnæ binæ, & quibus nullæ commiſſæ ſint, diximus, &* Plinius *mox indicabit.* In Fucino *tantum lacu piſcis eſt qui octonis pinnis natat)* Hoc *uidetur eſſe contra opinionem* Ariſtotelis *in quarto de partibus animalium, dicentis piſces quaternas pinnulas habere, binas parte prona, & binas ſupina, neq; eſſe qui haberet plures. ſanguine enim careret.* Ad *quod dicendum uel* ꝗ *hic piſcis ſanguine caret, uel quòd* Ariſtoteles *excuſandus eſt, quia* Italicos *piſces, & præſertim uno alteróue loco naſcentes noſſe non potuit. Binæ omnino longis, ut lumbricis & anguillis & congris. nullæ, ut murenis.)* Legendum, *binæ omnino longis & lubricis, ut anguillis & congris: nullæ, ut murenis, ex* Ariſtotele *primo de hiſtoria, unde hæc* Plinius *mutuatur.* Ait *enim capite quinto:* Quæ *autem in genere natante pedibus carent, hæc aut pinnis natant, ut piſces: quorum alij quaternas, binas ſcilicet parte prona, & binas ſupina habent, ut aurata, ut lupus: alij binas tantum, qui longi & lubrici ſunt, ut anguillæ, ut congri: aut nullas omnino habent, ut murena: ſed ita mari utuntur, ut terra ſerpentes: modóq; ſimili repũt in humore. quod ſecundo etiam eiuſdem hiſtoriæ retulit. ait enim:* Congri *etiam & anguillæ & thunni lubrici ſunt.* Itemq; *libro ſexto:* Pariunt, *inquit, oua omnes qui ſquammis teguntur, ut lupus, mugilis, & qui candidi appellantur, & qui lubrici, præterquam anguilla.* Theodorus *leues conuertit, quoniam deprauatum locum in* Plinio *non animaduerterat. quod ſi aduertiſſet, ipſe quoque, ut eſt* Plinij *maximus æmulator, lubrici tranſtuliſſet.* Plinius *quoque ſecundo & trigeſimo uolumine, murenæ tergum dixit eſſe lubricum. etenim piſcis is dicitur lubricus, qui manibus labitur dum tenetur. Piſcibus autem longis* Ariſtoteles *&* Plinius *lubricis addiderunt ad differentiam eorum qui longi & aſperi ſunt: quales quos galeos ſiue muſtellos* Ariſtoteles *appellauit, qui pinnis quaternis mouentur. nam qui longi & lubrici appellantur, pinnis tantummodo binis natant, ex* Ariſtotele *primo & ſecundo de hiſtoria: ut nobis gloriari merito liceat, qui locum in* Plinio *mendoſiſsimum ac penè demortuum uitæ reddidimus.* Alcyonius *uero, ut qui ſemper ex aliorum ingenijs ſibi laudem uendicare ſtuduerit, quum à nobis hanc & alias huiuſmodi caſtigationes noſtras didiciſſet, eas ſibi profecto impudentiſsime arrogando,* Longolio, Paulò Iouio, *atque alijs plerisque uiris doctiſsimis, abſque ulla noſtræ meritæ laudis mentione à ſeipſo primum deprehenſas iactanter exhibuit. nihil enim ingratum magis, ac humanitate omni alienum committere poterat, quàm non fateri per quos profecerit.* Adſunt *teſtes* Daniel Rhenerius *ſenator grauiſsimus, & latinis, græcis & hebræis literis præſtantiſsimus, &* Egnatius *noſter uir multi ſtudij, & rerum literarúmque ueterum impenſe doctus: necnon* Victor Fauſtus *in græcis literis celebri fama & multo nomine, ac rebus naualibus: quibus tam luſtris duobus præteritis huiuſmodi locum in* Plinio *corruptiſsimum à nobis primum emendatum oſtendimus.* Qui *igitur binis tantummodo pinnis natant, ut ad* Plinium *reuertamur, eas habent quæ parti pronæ adhærent, niſi latitudo prohibeat: eáſque iuxta caput poſitas ge-*

runt,qui habent:quoniam eo loco longitudine careant,qua uice pinnarum moueãtur. Corpus enim eius generis piſcium exporrectum in caudam eſt.Cauſſa autem cur murenis pinnæ deficiant,eadem eſt,qua ſerpentes pedibus uacent.aut enim male mouerentur, aut nullo pacto moueri poſſent,ſi quaternas mouendi notas haberent.uix enim mouerentur,ſiue propinquas inter ſe haberent,ſiue remotas, propter longius interuallum. ſed ſi plures mouendi notas, ſanguinis uacua eſſent.hæc eadem cauſſa bipennibus quoque piſcibus reddenda eſt.Piſcibus autem nulla membra dependent,quoniam eorum natura natilis eſt ratione ſuæ ſubſtantiæ. nihil enim ſuperuacaneum, nihil fruſtra natura agit.ſed cum ſua ſubſtantia ſanguinem habeant,& tamen natiles, non greßiles ſunt,pinnulas habent,ut nantes pedibus carent,ut non pedeſtres,ſed aquatiles.pedum enim additio utilis ad motum qui in pedo,hoc eſt ſolo agatur, unde & nomen inditum pedibus eſt.Ad hoc fieri non poteſt ut ſimul & quaternas habeant pinnulas & pedes,aut aliud eiuſmodi membrum,cum ſanguinem habeant. Corduli quanuis branchijs præditi pedes habent,quoniam penna carent:caudam etiam habent laxam & latam. Quibus nec branchiæ.) Ariſtoteles non abſolute negauit murenas habere branchias. Ita enim ſecundo de hiſtoria tradit,Nonnullis è longis nullæ omnino ſunt pinnæ,ut murenæ, nec branchiæ integræ ut cæteris piſcibus habentur. Hæc omnia flexuoſo corporum impulſu ita mari utuntur,ut ſerpentes terra:in ſicco quoque repunt.)Hæc ab Ariſto:ele primo de hiſtoria,præcipue quarto de partibus animalium accepit.Verba enim ipſius hæc ſunt:Nullæ omnino pinnæ prælongis,& ſerpentis ſpeciem referentibus,ut murenæ:ſed flexuoſo impulſu corporũ ita humore utuntur,ut terra ſerpentes.ſenſus eſt huiuſmodi:piſces longi,& ſerpentis ſpeciem referentes,ita in mari utuntur flexuoſo corporum impulſu,ſicuti ſerpentes in terra.ubi ſtatim interpungatur ſicut in hoc codice:ut quæ ſequuntur uerba, non ad ſerpentes,ſed ad piſces illos,hoc eſt murenas referas.Nam paulò pòſt inquit Ariſtoteles: Serpentis enim ea quoq; faciem referunt,& ſui corporis flexu pro duabus pinnis utuntur: unde fit ut in ſicco repere poßint,& diutius uiuere.itaq; alteri non protinus, alteri cum pedeſtris naturæ familiares ſint,minus exanimantur. non enim dixiſſet Plinius ideo etiam uiuaciora talia, niſi intellexiſſet huiuſmodi piſces in ſicco etiam repere poſſe,quemadmodum etiam Ariſtoteles.Præterea dixit Plinius,in ſicco quoque repùnt.nam ſi uerba ea ad ſerpentes eſſent referenda,non dixiſſet quoque: cum proprium & ſecundum naturam ſerpentis ſit repere in ſicco,ſicuti proprium murenæ ſit repere in humore:quæ in ſicco quoq; repere poteſt & uiuere,quanquam non diu ſicut ſerpentes:nam murenas in terram exire Plinius ſuperius teſtatus eſt.Nos hæc referre uoluimus propter codices nonnullos qui male diſtincti ſunt. Et è planis aliqua non habent pinnas,ut paſtinacæ.ipſa enim latitudine natant.) Ariſtoteles primo de hiſtoria:Chartilaginei quoque generis,inquit,aliqua pinnis carent, uidelicet quæ plana ſunt,& caudam habent,ut raia & paſtinaca,ſuaq; ipſa latitudine natant. quod etiam quarto de partibus animalium repetit dicens: Squatina & rana pinnas lateribus accommodatas infra gerunt propter amplitudinem partis ſuperioris : quæ autem parti ſupinæ commiſſæ ſunt,eas iuxta caput adiunctas habent.nihil enim latitudo impedit quo minus moueantur,ſed pro ſuperis illis has gerunt minores ijs quæ ad latera applicantur. Torpedo duas iuxta caudam pinnas habet,pro reliquis latitudine utitur,& utroq; ſui corporis ſemicirculo quaſi geminis pinnis natat. De paſtinaca & torpedine infra ſuis locis diſſeremus. Et quæ mollia

appellantur,

appellantur, ut polypi, quoniam pedes uicem pinnarum illis præſtant.) Ariſtoteles primo *eiuſdem hiſtoriæ, Quæ autẽ, inquit, pedes habere putantur, ut mollia, tum pedibus ipſis, tum pinnis natant, & quidem ijs celerius. iners autem alueus ducitur, ut ſepia, loligo, polypus po teſt, ſepia & loligo nequeunt.*

EX CAPITE XXI.

Anguillæ octonis uiuunt annis.) Hæc omnia Plinius ab Ariſtotele mutuatur. ita enim octauo de hiſtoria tradit. *Vita anguillis nonnullis uel ad ſeptem octoq́; annos protrahitur.* *Durant & ſine aqua ſenis diebus aquilone ſpirante, auſtro paucioribus.)* Ariſtoteles eodem loco, *Viuere, inquit, anguillæ exemptæ aquis, uel ad diem quintum ſextumq́; poſſunt, & aquilone plures diutius durant, auſtro minus.* Theophraſtus libro quinto, de ijs qui degunt in ſicco, inquit & *anguillam & murenam diutius poſſe extra humorem uiuere, eò quòd paruas branchias habeant, & parum humoris admittant. At hyemem eædem in exigua aqua non tolerant, nec in turbida.)* Ariſtoteles ibidem: *Et ſi æſtate anguillæ de lacu in piſcinam transferuntur, uiuere nequeunt: ſed ſi hyeme, facile ſedis mutationem patiuntur. nullam denique uehementem mutationem tolerant: & quidem æſtate, etiam ſi in frigidam aquam transferas, omnes plerunque intereunt. quin & ſi exigua in aqua ſtabulentur, pereunt, quod idem & cæteris piſcibus euenit, ſtrangulantur enim ſi ſemper eadem in aqua exigua uerſantur: quomodo ſpirantia animalia intereunt, ſi in aere exiguo claudantur. Ideoq́; circa Vergilias maxime capiuntur, fluminibus tum præcipuè turbidis.)* Ariſtoteles ubi ſupra: *Anguillæ, inquit, paucæ quædam certisq́; locis ueſcuntur limo atque edulijs, ſi quis apponat: ſed plurimæ dulci humore uiuunt: idq́; in uiuarijs anguillarijs data opera ſeruant, ut quàm maxime pura ſinceráque ſit aqua, affluens ſemper & effluens per ripas ubi uiuaria extruuntur. nam niſi aqua ſit clara, breui ſtrangulatæ intereunt. branchias enim habent exiguas. hinc turbare aquam ſoliti ſunt qui eas piſcantur. Et quidem in Strymone amne circa uergilias capiuntur. tunc enim aqua & lutum aduerſis flatibus inturbatur. alioquin ſatius eſt quieſcere. Paſcuntur noctibus.)* Ibidem Ariſtoteles: *Victus, inquit, fluuialibus etiam tum ex mutua ſui generis præda, tum ex herba, radice, & ſi quid in cœno comperiant. nocte potius paſcere, interdiu ſecedere in altum ſoliti ſunt. Exanimes piſcium ſolæ non fluitant.)* Ariſtoteles item ait: *Anguillæ non ſuperfluitant mortuæ, nec ſurſum ut cæteri piſces maxima parte efferuntur. Sunt enim uentre exiguo. pingue in paucis ineſt, plurimæ eo carent. Anguilla piſcis eſt longus & lubricus, duas pinnas prope branchias gerens, cui fel in iecore ineſt, exiguáque gula. quo in genere neque mas, neque fœmina eſt, neque prolem ex ſe aliquam poteſt procreare. nec uero capta unquam aliqua eſt quæ aut ſemen genitale aut oua haberet: meatus quoq́; uel ſemini uel uuluæ accommodatos nulla reſciſſa oſtendit. Sed hoc unum inter ſanguinea genus totum ſine coitu, ſine ouo procreatur. quod ita eſſe argumento conſtat, quòd in nonnullis fæculentis ſtagnis aqua omni exhauſta & limo detracto anguillæ denuo generantur, ubi aqua acceſſerit pluuia. nam ſiccis temporibus gigni nequeunt, etiam in lacu perenni, quippe quæ imbre & uiuant & alantur. ſed hoc genus non coitu, non ouo creari apertum eſt. ſed qui eam capillamentis & lumbricis quædam ſimilia interdum adnexa ſibi gerentem uidiſſe aiunt, inconſiderate id aſſerunt antequam aduertant qua parte illa gerantur. neque enim aliquid eiuſmodi eſt, quod animal creet, niſi prius generarit ouum, quod in nulla anguilla ui-*

ſum eſt. Et quæ animal gignunt, ſuo in utero fœtum continent, non in uentriculo. ita enim non ſecus concoquerentur primordia genituræ. Sed certe ex ijs prodeunt quæ terræ inteſtina uocantur, quæ ſponte in luto humeſcenteq; humo proueniunt. iam aliæ abſolui ex his uiſæ ſunt, aliæ ſcalptis diſcerptiſq; intus apparuerunt. Oriuntur hæc inteſtina dicta, tum in mari, tum etiam in fluuijs ſtagniſq; putredinis maxime ratione: ſed in mari quà algæ ſunt, in ſtagnis autem & fluuijs iuxta ripas. Calor enim amplius eas ſubiens partes facit ut putreāt. talis generatio anguillarum eſt. Quam autem differentiam maris & fœminæ anguillæ notarunt, ſcilicet alteram caput habere amplius atque oblongius, alteram hoc eſt fœminam repandius: hæc non maris ac fœminæ differentia eſt, ſed generis. Sunt enim piſciū nonnulli epitragea, ab hirci ſterilitate appellati: quo in genere carini & bareni ſiue balagri ex amnicis annotantur, qui nec ouum, nec ſemen ullum prolificum unquam habeant. ſed qui ſolidiores pinguioreſq; in eo genere ſunt, ijs inteſtinum paruum eſt, & laus præcipua in paſtu. Anguillæ in cibo damnantur omnes quocunque tempore: duræ nanque digeſtionis ſunt, & humorē uiſcoſum aggenerant. Verùm ex his, quas fœminas nominant, meliores eſſe conſtat ex Ariſtotele octauo de hiſtoria. Anguillas uero copaidas dictas Epicharmus laudat, quòd ad inſignem magnitudinem perueniant. Agatharchides dicit Bœotios more uictimarum coronantes dijs eas ſacrificare. Diphilus inquit anguillas lacuſtres inſuauiores eſſe marinis, & pluris alimenti. Anguillæ tamen omnes fluuiatiles ſunt, ſed in mare etiam deſcendunt: quas ad tricenos quoque pedes longas in Gange amne reperiri Plinius & Solinus tradunt. Antiphanes uero Strymonem Thraciæ fluuium anguillas maximas poßidere tradit. Nymphodorus Syracuſanus in Eloro amne inquit eſſe lupos, & anguillas magnas, adeo manſuetas ut è manibus etiam porrigentium panem capiāt: quod & Apollodorus meminit in chronicis. Athenæus etiam libro octauo inquit ſe uidiſſe in Arethuſa circa Chalcidem anguillas manſuetas, inaureſque aureas & argenteas habentes, & capientes ab afferentibus cibos.

EX CAPITE XXIII.

Murena quocunque tempore parit, cum cæteri piſces ſtato pariant.) Ariſtoteles quinto de hiſtoria: Non deſunt quæ omnibus anni temporibus pariant, ut murena, cuius partus & numeroſior eſt, & quæ prodierint, ex paruo celeri incremēto adoleſcunt: ut & hippurus, id eſt equiſelis. nam eius etiam partus de minimo in maximum celerrime augetur. ſed murena omnibus anni temporibus parit, equiſelis uere tantum. Oua eius citißime creſcunt in ſicco littore.) Legendum uidetur ex uetuſtis codicibus: Oua eius citißime creſcunt, ubi ſtatim interpungitur, ac de integro ſic uerba incipiunt: in ſiccum littus elapſas uulgus coitu ſerpentium impleri putat. Non enim parit in ſicco, ſed in profundo, & exit in ſiccum. Dixit autem in ſiccum littus, ne ſi in littus tantum dixiſſet, in littus, hoc eſt mare terræ propinquum quiſpiam intelligeret. unde piſces littorales uocantur, non quia in ſicco, ſed quia mari prope terram uagentur. In ſicco littore elapſas uulgus coitu ſerpentiū impleri putat.) Huius opinionis fuit Oppianus, & ante ipſum Licinius Macer citatus à Plinio trigeſimoſecundo uolumine, cum dicit: Licinius Macer murenas tantum fœminini ſexus eſſe tradit, & concipere è ſerpentibus: ob id ſibilo à piſcatoribus tanquam ſerpentibus euocari & capi. Itemq; Archelaus in libro de duplici natura, murenas ſcribit in terram elapſas ſerpentibus commiſceri. Cui quidem opinioni Ariſtoteles contradicit, myrum marem in murenis appellando, ut mox liquebit.

liquebit. Itemq; Andreas, qui falſum inquit eſſe quod inquiunt murenam miſceri cum uipera, quoniam locis paluſtribus & limoſis minime gaudeat. Ariſtoteles myrinum uocat marem qui generat: diſcrimen eſſe, quòd murena uaria & infirma ſit, myrinus unicolor & robuſtus, denteſq; extra os habeat.) Legendum myrum, non myrinum. Itemq; infrius myrus, tum ex uetuſtis codicibus, tum etiam Ariſtotele Athenæoq;, qui hunc piſcem myrum appellauerunt. Ariſtoteles enim quinto de hiſtoria: Myrus, inquit, non idem quod murena eſt: quippe cum murena ſit uaria atque infirmior, myrus unicolor & robuſtus, colore laricis arboris ſimilis: dentes etiam tam intus quàm foris poſsidet, ſexus diſcrimine perinde ac in cæteris. Volunt ut alterũ mas ſit, alterum fœmina. Theodorus murum conuertit, quẽ ſpinas non habere per carnem, ſed totũ delicatũ eſſe Dorion dicit. Huius etiam duo genera eſſe: alij quidem nigri, alij ſubruffi: atq; ex ijs nigricãtes meliores eſſe. Nec ſum neſcius myrinum piſcem quendam ab eodem Ariſtotele libro octauo nominari. Eſt igitur murena, quam & ſmyrenam Plato dorice appellauit, piſcis longus & lubricus, haud diſsimilis anguillæ, uarius maculis, luteis & nigris, cui nullæ ſunt pinnæ, nec branchiæ integræ, flexuoſo corporis impulſu natãs, in ſicco quoq; repens more ſerpentum, dentibus malefica, atq; carniuora. Proindeq; Vedius Pollio eques Romanus, nouæ huius ſeuitiæ perſcrutator, ſeruos ad mortẽ damnatos, non ad feras, ſed in murenarũ uiuaria proijciebat, ut qui in alio genere totũ pariter hominẽ diſtrahi ſpectare non poterat. Murenã & congrum mutuo inter ſe odio conflagrare, abſcindiq; congro caudã à murena morſu Ariſtoteles tradit: quæ & menſibus quatuor, ijs ſcilicet frigidiſsimis, latet. Optimæ ſunt ex hoc genere, quæ à latinis flutæ, & græcis plotæ, quaſi nauigabiles dicuntur, quòd in ſumma aqua fluitantes mergi non poſsint. M. Varro in libro qui Gallus de admirandis inſcribitur, ut author eſt Macrobius, in Sicilia quoq; inquit manu capi murenas flutas, quòd hæ in ſumma aqua præ pinguedine fluitent: quas ibidem optimas ſecundo de re ruſtica tradidit. Acceſſebantur autem murenæ, refert Macrobius, ad piſcinas noſtræ urbis ab uſq; freto Siculo, quod Rhegyum à Meſſana diſpeſcit. Illic enim tam murenæ q̃ anguillæ optimæ à prodigis eſſe creduntur, & utræque ex illo loco græcè plotæ uocantur, latine flutæ: quòd in ſummo ſupernantes, ſole torrefactæ curuare ſe poſſe, & in aquã mergere deſinunt, atque ita faciles captu fiunt, quas etiam Columella maxime cõmendauit. Iuuenalis:

Virroni murena datur, quæ maxima uenit
Gurgite de Siculo. Et Martialis:
Quæ natat in Siculo grandis murena profundo,
Non ualet exuſtam mergere ſole cutem.

Sed quis neget indomitam apud illos, & (ut ait Cæcilius) uallatam gulam fuiſſe, cui ex tam longinquo mari inſtrumenta luxuriæ compararẽtur? Nec rarus hic Romæ piſcis, ut peregre accitus, erat. Author eſt Varro tertio de re ruſtica, & hoc libro Plinius, C. Cæſarem dictatorem, cum triumphales cœnas populo daret, ſex millia murenarũ à C. Hirrio mutua in pondus accepiſſe. Murena in tantis delicijs olim fuit, ut & nomen Liciniorum familiæ dederit, Varrone teſte, & mortua in piſcina defleta ſit. Peſsimæ uero murenæ illæ habẽtur, inqt Galenus, quæ circa fluminus oſtia degunt. In Gallia ſeptẽtrionali murenis omnibus dextra in maxilla ſeptenæ maculæ ſunt, ad formã ſeptẽtrionis aureo colore fulgẽtes dũ uiuũt, & cũ anima colorẽ ſimul perdẽtes. Circa Carteiã locis exterioribus murenas minarũ ſupra octrgnta

ginta reperiri Strabo meminit:quas ham̄u quoq; deuorare,admouereq́; dentibus lineas,atq; ita erodere Pytheas prodidit.Similiterq́; hamo infixam inuertere ſe,quoniam ſit dorſo cultellato,ſpinaq́; lineam præſecare.Ouidius etiam murenam retis maculas appetere ipſas conſciam teretis ac lubrici tergi,tum multiplici flexu laxare donec euadat,in libro qui halieuticon inſcribitur, teſtatum reliquit. Animam in cauda habere ex Plinio arbitrantur: eaq́; icta ferula,non fuſte,celerrimè exanimari:at capitis ictu difficulter.nec minus quàm anguilla, authore Hiceſio nutritiua eſt,quam & in hodiernum diem murenam ubique nominant. Eſt & murena fluuiatilis ex Athenæo,quam aliqui mendaciſſime gallariam à Dorione uocari, Athenæum falſo interpretantes prodiderunt.Nam Dorion in libro de piſcibus, fluuialem inquit murenam habere unicam ſpinam ſimilem aſello,qui appellatur gallaria.Eſt enim gallaria,non murena,ſed aſelli ſpecies minor ex Plinio & Athenæo,uti retulimus cum de aſellis ageremus.

·EX CAPITE XXIIII.

Planorum piſcium alterum eſt genus,quod pro ſpina chartilaginem habet.) Hoc loco de altero piſcium planorum genere,quod pro ſpina chartilaginem habet, Plinius pertractat, ut quæ chartilaginea nūcupantur:quorum motus,uti retulimus,ideo lentus pigerq́; eſt, quòd non ſpina aut neruo corroboratur. Raiæ.)Scribendum,ut raiæ.Raia eſt piſcis planus chartilagineus,quam græci batin & baton uocant,ex eo quòd cauda quibuſdam aculeis conſtat, ad ſimilitudinem rubi ſentis mora agreſtia ferentis,quæ græce batos dicitur.Sed raia cum pinnis careat,ſua ipſa latitudine natat: oſſaq́; intus quædam rotunda aculeata habet, qualia & rhombis ineſſe cernuntur.Coit raia non ſolum admotis inuicem partibus ſupinis, ſed etiã tergo fœminarum ſupinis marium ſuperpoſitis,modò cauda impedimento nullo ob craſſitudinem ſit.Raia,inquit Athenæus,alimentum humidum præbet, & elixata aluum maxime omnium ſoluit,toſta autem peior. Archeſtratus raiam hyeme comedendam præcepit.Lynceus uero Theophraſti diſcipulus in libro de Apophthegmatibus inquit,quum quidam diceret raiam bonum piſcem eſſe,Dorionem tibicinem ſubdidiſſe: bonum perinde ac ſi elixatum pallium comederes.Diphilus uero ſuauem eſſe dixit. Paſtinacæ.) Paſtinaca piſcis eſt planus chartilagineus, qui radium digitalis & interdum ſemipedalis longitudinis in modum ſerræ denticulatum dentibus retrouerſis ſuper caudam retinet: quo nihil(ut inquit Plinius) in mari uenenatius uſquam.radici nanque infixus arbores necat.tripudio cantúque delectatur,unde his etiam capi conſueuerunt.Aelianus author eſt.Coit quemadmodum raia. latrocinatur autem ex occulto:cuius ſolertiæ indicium eſt,quòd ſæpius eam capiunt in uentre mugilem velociſſimum piſcem habentem, cum tardiſſima ipſa ſit. hanc græci trygona uocant, quæ uox cum turturem ſignificet,Ambroſius turturem conuertit:ſed melius utique,quemadmodum & Plinius & Theodorus, paſtinacam,ſicut & raiam quàm rubũ uertiſſet:de qua Plautus etiam in Captiuis mentionem fecit.hanc Veneti piſcem columbum appellant, quæ in cibo ſumpta uentrem exonerat.ſed cibi cauſſa ſecundum Plinium extrahi debet quicquid ſimile eſt croco, caputq́; totum,ad quæ & caudam nos addimus. Squatinæ.) Squatina, quæ rhina græcè dicitur,piſcis eſt planus chartilagineus,non nimis latus: cuius os nec infra parte ſupina,ut maiori parte chartilagineorum,ſed ante promptumq́; eſt,ut ranæ paluſtri.pinnas quẽadmodũ & rana marina lateribus accõmodatas infra gerit.huic fel in iecore cõtinetur.

tur,caudáque eidem longa mucronatáque eſt. Coitus uero attritu mutuo tantum par.ium ſupinarum agitur.ſquatina etiam cum raıa coire creditur,argumento piſcis cuiuſdam qui nomen ex utroq; compoſitum trahit rhinobati,ad cuius æmulationem Theodorus uertit ſquatraiam.Eſt enim parte priore raiæ ſimilis,poſteriore ſquatinæ, tanquam ex utroque proueniens genere.Hæc una ex planis chartilagneis bis parit.nam & incipiente autumno,& circa Vergiliarũ occaſum,ſed per autumnum felicius.ſingulis uero fœturis partus ſepteni aut octoni proueniunt.fœtum ſuum & emittit,& recipit intra ſeipſam.Huic etiam ſolertia quædam ineſt.arena enim ſeſe obruit tota,& adnatãtes piſciculos corripit. Diphilus dixit ſquatinam ex chartilagneis eſſe facilis concoctionis,& leuem. uerum ex his magis nutrire quæ maior eſſet. Torpedo.)Torpedo à græcis narce dicta,& ipſa eſt inter chartilagnea plana,ſic appellata,quòd ſi quis manu uiuam tenuerit,torporem brachio inſpirauerit. idem etiã procul & è longinquo facit.nam & retis interuallo,ut inquit Auerroys octauo phyſicorũ, & ſecundo cœli & mundi,uel ſi haſta uirgáue attingatur,lacertos quamuis præualidos torpeſcere certum eſt.Plato in Menone inquit torpedinem torporem appropinquantibus inſpirare.Duas iuxta caudam pinnas habet,pro reliquis latitudine utitur:& utroque ſui corporis ſemicirculo quaſi geminis pinnis natat:quæ quidem cauda breuis carnoſaq; eſt, quoniam incrementum eius partis ad piſcis latitudinem tranſit.huic etiam iuxta caput parte prona ueluti duo foramina ſpectantur,os uerò infrà parte ſupina ut paſtinacæ.parit circa autumnum paulò ante æquinoctium: fœtus etiam ſuos & emittit & recipit intra ſeipſam, ut ſquatina. Hæc quoque ſolertia quadam prædita eſt.nam piſces quos appetit,afficit ea ipſa quam ſuo in corpore continet facultate torpendi,atque ita retardos præ ſtupore capit,& ueſcitur.abdit ſe in arena & limo,& tunc piſces qui adnatantes obtorpuerint,corripit. quam rem plerique conſpectam à ſe retulerunt.Conditur etiam per hyemem terra, hoc eſt uado maris excauato,quod propter frigus facere Theophraſtus exiſtimauit.quæ ſi capiatur,inquit Plinius, quum luna in libra fuerit,triduóque aſſeruetur ſub diuo, faciles partus facit: poſtea quoties inferatur,adiuuare.felle torpedinis uiuæ,quod in iecore habet, genitalibus illitum, uenerem inhibet. cuius quidem iecori teneritas nulla præfertur. Diphilus inquit,Torpedo quum ſit difficilis concoctionis,partes quæ circa caput ſunt,molles habet, & ſtomacho conuenientes, quæ & bene concoquuntur,reliquas uero econtrario. paruæ tamen ſunt meliores, & præcipue ſimpliciter elixatæ.Eſt & turpena piſcis maritimus:à quo cerati quoddam genus ad duritias emolliendas appellatum eſt à medicis, ut eſt apud Paulum Aegnetam. Lamiæ, aquilæ.)Lamia,aquila,& ipſæ ſunt piſces plani chartilagnei:de quibus Ariſtoteles quinto de hiſtoria, & Athenæus:quanquam amia pro lamia deprauate legitur in Athenæo. Eſt enim amia aliud genus piſcis pelamidi ſimilis. Ranæ.)Non intelligit hic de rana lutaria,ſed de rana marina,quæ piſcatrix cognominatur. Eſt enim rana marina inter chartilagnea plana.pinnas ut ſquatina infra lateribus accommodatas habet,propter amplitudinem partis ſuperioris. quæ autem parti ſupinæ commiſſæ ſunt,eas iuxta caput adiunctas habet. nihil enim latitudo impedit quo minus moueatur: ſed pro ſuperis illis has gerit,minores ijs quæ ad latera applicantur.Fœtus uero non ut cæteris chartilagneis eſt.nam una hæc inter chartilagnea,ut ait Ariſtoteles, non animal ſed ouum excludit, cuius cauſſam pòſt exponam.Huic etiam ingenij ſolertia quædam ineſt.quum enim arena ſeſe abſconderit, ut nullam

ſui corporis partem detectam reliquerit, uerberat ijs corniculis quæ gemina ante oculos ſuos dependent, ueluti fila quæ capilli ſpeciem referunt, ſed poſtrema rotunda quibuſdam præpilantur, quaſi eſcæ cauſſa additis. quæ capillamenta piſciculi cum aſpexerint, adnatant ceu ad algas, quibus ueſci ſoliti ſunt. & dum illi capita machinamenti penſilis deuorant, ipſa ſubtrahens fila allicit, donec eos ſuum in os adducat: unde piſcatricis nomen adepta eſt. Archeſtratus inquit, Si uideris ranam, eme, & uentriculum eius præparato. Oſsiculum in cauda habet, inquit Plinius, quo ſtrumæ ſanantur, ſi quotidie pungantur, ita ut non uulneret, donec percurentur. Hodie ab incolis Iſtriæ piſcis roſpus appellatur. Monendi autem ſumus quòd in Ariſtotele raia piſcatrix falſo legitur. Nam libro nono de hiſtoria βάτραχον ἁλιέα *ranam piſcatricem uocauit, & Cicero de natura deorum ſecundo, & Plinius hoc libro. Raia uero (ut dixi) batos & batis appellatur, non batrachos: in quo uerbo ſæpius inuenies erratum fuiſſe impreſſorum culpa. Quo in numero) Scilicet eorum piſcium qui pro ſpina chartilagnem habent. non autem hic planorum intelligit Plinius. Sunt ſquali quoque, quamuis non plani.) Legendum galei, non ſquali, ex Ariſtotele, unde hæc Plinius mutuatur, qui ut idẽ Plinius ait, hæc græcè in uniuerſum ſelache, hoc eſt chartilagine a primus appellauit. Duo chartilagineorum duntaxat genera tradit, planorum uidelicet, & non planorum, quæ duo in plures ſpecies diſtinguuntur. Inquit enim quinto de hiſtoria, Vt ſeriatim nomina referam, plani ut raia, paſtinaca, ſquatina, & paulò pòſt inquit: Chartilaginea uerò præter ea quæ enumerauimus, ſunt, bos, lamia, aquila, torpedo, rana, omneq́; genus galeorum. ſunt autem galei piſces chartilaginei non plani, ſed longi, quos Theodorus muſtellos conuertit, cuiuſmodi ſunt canicula, uulpecula, & reliqua generis eiuſdem, ut ex Ariſtotele libro ſexto de hiſtoria facilè elici poteſt. Selache.) id eſt chartilaginea. Sic enim Plinius & Theodorus interpretantur, quorum duo genera habentur apud Ariſtotelem ut diximus, plana, & non plana, quæ ambo plures ĩ ſpecies diſtinguũtur. Plana, ut raia, leuiraia, paſtinaca, ſquatina, ſquatraia, torpedo, bos, lamia, aquila, rana. Non plana, ut genus muſtellinum, ut canicula, quibus dentes malefici, & caniculæ, quas aliqui ab hinnulo nebridas muſtellos appellant. Vulpecula, quæ ut inquit Diphilus, tale nomen ſortita eſt, quoniam guſtu uulpi quadrupedi aſsimuletur. muſtelli acanthiæ, id eſt ſpinaces, ſic à ſpinis quæ binæ & albæ eminent dorſo, nuncupati, cor habentes pentagonum ex Athenæo, quos Veneti aſilatos quaſi aculeatos uocant. nam ſtimulum quo animalia punguntur, Venetia, præcipue Patauini, à ſimilitudine proboſcidis aſili tergora animalium penetrantis, aſilum nominant. quæ omnia cum ſquammis careant, cute tamen aſpera muniuntur, quoniam ſpina chartilaginea conſtant. unde & motum eorum eſſe molliorem neceſſe eſt. itaque fulcimenti genus non rigidum, ſed mollius eſſe oportuit. Adde quòd terrenam omnem materiam natura inde ad eorum cutem conficiendam tranſtulit, inq́; eius aſperitatem abſumpſit. pluribus enim locis tantundem exuperantiæ diſpenſare natura non poteſt. Branchiæ uero chartilagineis detectæ ſunt omnibus: cauſſa eſt, quòd chartilagineum branchiæ, tum earum tegumenta conſtant. Verum ijs ſi plana ſunt, parte inferiore ſupinàque habentur, ut torpedini, ut raiæ. ſed ſi oblonga ſunt, lateribus adhærent, ut in quonis muſtellino genere cernitur. Raia tametſi deductas in latera habeat branchias, tamen non ſpineo intectas operimento, ut quæ non chartilaginea ſunt, ſed cuticulari. Lien chartilagineis eſt admodum paruus, ſed iecur duplicatum adipeúmque, quorum iocinoribus*

colliquatis

colliquatis oleum facimus. ipſa tamen chartilaginea nullo diſcreto adipe carni uentriue adhærente pingueſcunt. Hæc autem omnia, tum plana, tum muſtelligena, pelagia ſunt, hyeméque conduntur, diebus ſcilicet ijs frigidiſsimis. dormiunt uero chartilaginea, & ita interdum dormiunt, ut uel manu tollantur. quorum nonnulla quoque ſtridere uidentur. uerum ab his uocem emitti ullam recte dici non poteſt, at ſonum ſiue ſtrepitum reddi uerius dixeris. Omnia autem carnoſiora ſunt talia.) Lego carniuora, non carnoſiora, tum ex uetuſtis codicibus, tum etiam Ariſtotele octauo de hiſtoria, ubi ait: Alij tantum ut chartilaginei carniuori ſunt. & item paulò pòſt, inquit: Alia igitur (ut dixi) carniuora tantum ſunt, ut Delphinus, dentex, aurata, ut chartilaginea, ut mollia. ubi cum de ijs qui carniuori ſunt, diſſeruerit, ſtatim determinauit de ijs qui reſupinati corripiunt. & quarto etiam de partibus animalium dixit chartilagineos piſces uoraces eſſe, atque rapina uiuere. ex quibus locis Plinij uerba accepta eſſe uidentur. & certe ea quæ in Plinio ſequuntur, uidelicet, & ſupina ueſcuntur, uerbis præcedentibus rectè reſpondent. quem locum deprauatiſsimum antequam uetuſta exemplaria conſpexiſſemus, ex Ariſtotelis collatione correximus, etiamſi Diphilus chartilaginea omnia carnoſa eſſe tradiderit. Et ſupina ueſcuntur.) Ariſtoteles eiſdem locis, chartilaginea, inquit, niſi conuerſa reſupinentur, corripere nequeunt: quod natura non modo ſalutis gratia cæterorum piſcium feciſſe uidetur (dum enim ſeſe iſta conuertunt, mora intercedit, qua piſcis quem inſectantur, euadere poßit. nam omnia id genus rapina piſcium uiuunt) uerum etiam ne nimis ſuam deuorandi auiditatem explerent. Cum enim facilius caperent, breui per immodicam ſatietatem perirent. Os etiam infra parte ſupina habent: quoniam cum roſtrum eorum ſtructura tereti ac tenui ſit, facile ſcindi in oris habitum non poteſt: excipio tamen ſquatinam, & ranam, quibus os non ſubter, ſed ante promptúmque eſt. cuius rei cauſſa eſt, quoniam his roſtrum non longum ac tenue, ſed breue latúmque eſt. caput quoque grande aculeatum, ualdéque aſperum, in quo uires ſatis commodæ contineri poſſunt. quales non ita ſe haberent, ſi roſtrum chartilagineum oblongúmque foret. non enim chartilaginea os infra parte ſupina haberent ſi roſtro ſuo oblongo cibum diuidere ſecaréque ualerent. nihil enim ſuperuacaneum, nihil fruſtra natura agit. Si quis autem quæret quamobrem Ariſtoteles cum dixit chartilaginea os infra parte ſupina habere, ſquatinam & ranam non excepit, dicendum quòd Ariſtoteles non in uniuerſum expoſuit, ſed ut magna ex parte res euenit: ut ſexto de hiſtoria tradidit. Monendi etiam ſumus quòd torpedo licet roſtrum oblongum non habeat, os ideo infra ſupina continet parte, quòd ei caput non durum, non aſperum, ſed molle ac debile ſit. quod ſi antè promineret, digerere non ualeret. Vt in Delphinis diximus.) Quoniam ſupra dixerat Delphinos nõ niſi reſupinos atq; conuerſos corripere, ut Ariſtoteles tradit (quod naturæ prouidentia factum eſſe uidetur: quemadmodum de chartilagineis diximus. dum enim reſupinantur, mora intercedit, aliter nullus piſcis eorum celeritatem euaderet) ideo dixit, ut in Delphinis diximus. Sed quis illud inutile fore putauerit, ſi præter ea quæ de chartilagineorum coitu in particulari relata ſunt, de ipſo etiam in uniuerſali meminero? Chartilaginea nanque autũno mares cum fœminis circa coitum congregantur. ſed uere ſubeunt euripum diſiuncta, neque coniugium reperitur ullum, donec pariant, cum coitus tempore complura ex his ſibi adhærentia capiantur. corũ etiã ſimilis modus eſt coeundi qui Delphinis atq; cætarijs omnibus

eſt.planis enim admotis partibus agunt,nec parum multúmue temporis,ſed mediocre in ipſo conſumunt.Sunt tamen qui ſe uidiſſe confirment nonnulla ex chartilagineis auerſa modo canum terreſtrium cohærere. Fœmina in omni chartilagineo genere maior quàm mas eſt, quod idem ferè uel in cæteris generibus piſcium eſſe conſtat.Differunt etiam nonnulli mares chartilaginei generis à ſuis fœminis,eò quòd maribus bina quædam circa excrementi oſtium pendent, quibus fœminæ carent.mares tamen ſemen ſpargere non uiſuntur, cuius cauſſa eſt,quòd genus chartilagineum ſemine minime abundat. uuluas etiam fœminæ ad ſeptum poſitas continent.æque enim à maribus & fœminæ à fœminis differunt.ſunt enim chartilaginei minus copioſæ geniture. Et cum cæteri piſces oua pariant.)ſcilicet imperfecta, cuiuſmodi ſunt qui ſquamma cruſtáue integuntur,& quæ mollia nomine nuncupantur: quæ omnia cum frigidiore conſtent natura, oua pariunt imperfecta,quæ foris perficiuntur, & celeriter augentur: cuius rei cauſſa eſt, quòd magna fœcunditas eſt.quod ſi intrà fœtum perficerent, pauciora neceſſario ederent.quapropter genus hoc omne piſcium fœcundiſsimum eſt.Piſcium autem oua unicolora omnia ſunt,nec candidum habent diſtinctum:quia exiguum hoc eſt,& frigidæ terrenæq; qualitatis copia impedit. Hoc genus ſolum.)ſcilicet chartilagineorum, ut ea quæ cete appellant,animal parit.Verum chartilagineorum partus ab eo qui eſt cetariorum,in hoc ſanè diſcrepat,quòd ea quæ cete appellantur,ut Delphini & Balenæ,animal generant ſine ouo, quemadmodum homo & quadrupedes quæ animal pariunt. Sedenim ea pariunt animal,quæ natura perfectiore ſunt,& principium ſincerius obtinent.nullum enim intra ſe gignit animal,niſi quod aerem recipit,& ſpirat. perfectiora autem ſunt quæ natura calidiore & humidiore nec terrena conſtant. Caloris uerò naturalis ratio pulmone deſcribitur ſanguinis compote.Quæ enim pulmonem habent, omnino calidiora ſunt iis quæ non habent:& inter ea ſuperant, quæ non fungoſum aut retorridum & parum ſanguinis continentem habent pulmonem,ſed ſanguinolentum & mollem.utq; animal res perfecta, uermis autem & ouum imperfecta: ſic perfectum naſci ſolet à perfectiore.Quæ autem calidiora ſunt propter pulmonem,ſed natura conſtant ſicciore: aut quæ frigidiora quidem,ſed humidiora ſunt: eorum altera ouum edunt perfectum,altera intra ſe & ouum & animal pariunt. Nam & aues, & quæ cortice integuntur,calore ſuo perficiunt,ſed præ ſiccitate ouum pariunt.Chartilaginea cum minus iis calida, magis humida ſint,utroque participant:quippe quæ & ouum & animal intra ſe pariunt: ouum, quia frigida ſunt:animal,quia humida.humor enim uiuificus eſt,ſiccitas longè à uita remota eſt.Sed cum non penna,non cortice,non ſquãma tegantur, quæ indicia ſunt naturæ ſiccæ atq; terrenæ,idcirco molle generãt ouũ.ut enim piſcibus,ſic eorũ ouis nulla ſatis inſidet ſiccitas,atq; ob eã rem intra ſe pariũt oua.nam ſi ouũ foras prodiret,facilè periret carẽs putamine,quod protegat,duriore.Frigida ſiccioraq; pariũt quidẽ ouum,ſed imperfectũ, cruſta etiam duriuſcula opertum propter naturam terrenam ſui generis,utq; imperfectum exiens poſ.it ſeruari tutela operimẽti.Teſtacei piſces itaq; cum ſquãmati ſint,& genus cruſtatũ,ut terrena conſtitutum,natura oua putamine duriore generant. Sed mollium genus ut piſcium natura corporis lẽta eſt:ſic oua quæ imperfecta edere ſolet,tuetur & ſeruat. plurimũ enim lentoris ſua cùm fœtura emittunt.Ouum autẽ in nõnullis chartilagineis non abſoluitur utero,ſed inhærẽs deſcẽdit ad animalis generationem,in quibus animal perfectum habet ſuum

umbilicum ex utero, conſumpto iam ouo. fit hoc in muſtellorũ genere, leui cognomine. Oua etiam chartilagineorum unicolora quemadmodum & ouiperorum ſunt omnia. Excepta *quam ranam uocant)* Excipit Plinius *ranam marinam quæ piſcatrix cognominatur. hæc enim una inter chartilaginea (ut* Ariſtoteles *ſecundo & ſexto de hiſtoria, & tertio de generatione animalium ait) non animal ſed ouum foras perfectum parit.* Cauſſa *natura corporis eſt.* Caput *enim, ut diximus, longe grãdius reliquo corpore habet, idq́; aculeatum, & admodum aſperum: quam ob rem nec poſtea ſuos catulos intra ſe recipit, neque principio animal parit. capitis enim magnitudo & aſperitas ut aditum ſic exitum impedit. & cum chartilagineorum ouum cute molli operiatur (quòd enim frigidiora quàm aues ſint, nequeunt partem circundantem indurare) ideo ouum unum ranarum ſolidum durumq́; eſt, ut foris ſeruetur.* Cæterorum *humida ſunt natura, & molli. operiuntur enim intus corpore ſuæ parentis. Sed cum genus chartilagineũ minus omnino fœtificat quia animal gignit, ſeruari tamen ſua potiſsimum magnitudine poteſt.* R*ana inter hæc fœtificat numeroſius: uerùm quòd de facili pereunt, hinc efficitur ut appareant paucæ: & oua edit diuerſa iuxta terram.* Chartilaginea *autem omnia, inquit* Diphilus, *in cibo frequenter ſumpta oculos hebetãt, & inflationes agenerant, & ut* Galenus *inquit, mediocriter nutriunt. Sed de chartilagineis, & eorum natura, abunde ſatis iam dictum eſt.*

EX CAPITE XXV.

EST *paruus admodũ piſcis aſſuetus petris,* Echineis *appellatus. hoc carinis adhærẽte naues tardius ire credũtur, inde nomine impoſito.* Q*uam ob cauſam amatorijs quoq; ueneficijs infamis eſt, & iudiciorum ac litium mora)* Scribendum, *echeneis.* Ariſtoteles *ſecũdo de hiſtoria,* Piſciculus, *inquit, quidam echeneis eſt ſaxis aſſuetus, in cibos non admittẽdus, nomen à remorandis nauibus adeptus, utilis ad iudiciorum cauſſas, & amatoria ueneficia.* Eſt *autẽ echeneis, remora à* Latinis *dicta, piſciculus ſemipedalis longitudinis, & quinq; digitorum craſsitudinis, limaci magnæ ſimilis, ut ipſe* Plinius. *32. uolumine teſtatur: ſecundum uerò* Oppianum *aſpectu anguillæ proximus, forma turbinata, colore nigro, ore acuto, qui & incuruatur ut hamus, in petris uiuens, de quo* Plinius *eodẽ uolumine elegantiſsimè ſcripſit in hunc modum:* Q*uid uiolẽtius mari, uẽtiſue, & turbinibus ac procellis? quo maiore hominũ ingenio in ulla ſui parte adiuta eſt, quàm uelis remisq́;?* Addatur *his & reciproci æſtus inenarrabilis uis, uerſumq́; totum mare in flumen: tamen omnia hæc, pariterq́; eodem impellentia, unus ac paruus admodum piſciculus echeneis appellatus in ſe tenet.* Ruãt *uenti licet, & ſæuiant procellæ, imperat furori, uiresq́; tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia, quod nõ uincula ulla, non anchoræ pondere irreuocabili iactæ.* Infrenat *impetus, & domat mundi rabiem, nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo quàm adhærendo.* Hæc *tantilla ſatis eſt contra tot impetus, ut uetet ire nauigia. Sed armatæ claſſes imponũt ſibi turriũ propugnacula, ut in mari quoq; pugnetur uelut è muris.* Heu *uanitas humana, cum roſtra illa ære ferroq́; ad ictus armata, ſemipedalis ĩhibere poſsit ac tenere deuincta piſciculus.* Fertur Actiaco *marte tenuiſſe prætoriam nauim* Antonij *properantis circũire & exhortari ſuos, donec tranſiret in aliam. ideoq́;* Cæſariana *claſsis impetu maiore protinus uenit.* Tenuit *& noſtra memoria* Caij *principis ab* Aſtura Antium *remigrãtis, ut res eſt etiam auſpicalis piſciculus. ſiquidem nouiſsime tum in urbem reuerſus ille imperator ſuis telis confoſſus eſt. nec longà*

fuit illius moræ admiratio, ſtatim cauſſa intellecta, cum è tota cl;ſſe quinqueremis ſola non proficeret: exilientibus protinus qui id quærerent circa nauim. inuenere adhærentem gubernaculo, oſtenderuntq; Caio, indignanti hoc fuiſſe quod ſe reuocaret, quadringentorumq; remigum obſequio contra ſe intercederet. Conſtabat etiam peculiariter miratum quo modo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in nauigium receptus. Qui tunc poſtraq; uidere, eum limaci magnæ ſimilem eſſe dicunt. Quocunque modo iſta ſe habeant, quis ab hoc tenendi nauigia exemplo, de ulla potentia naturæ atque effectu in remedijs ſponte naſcentium rerum dubitare debeat? De hoc piſciculo ita cecinit Lucanus libro ſexto, Non puppim retinēs euro tendente rudentes In medijs echeneis aquis, oculiq; draconum. Quidam confundunt echinum cum echeneide. nam aliud piſcis genus echinus eſt, ut ſuo loco oſtendemus. Notandum tamen uideri ex Plinio, niſi in codice ſit menda, quinqueremem remos quadringentos, ex Polybio autem trecentos tantum obtinuiſſe, qui hunc ordinem tam à Carthagnenſibus quàm Romanis ſeruatum fuiſſe ſcribit: ſicuti & quinqueremis, quam nuper Fauſtus noſter, uir & literis & ingenio ſingularis, primus renouare inſtituit, non plures trecentis obtinet remos.

Quæ crimina una laude penſat fluxus grauidarum utero ſiſtens, partusq; continens ad puerperium) Plinius trigeſimoſecundo uolumine: Mirumq;, è Græcis, inquit, alij lubricos partus atque procidentes cōtineri ad maturitatem alligato eo (ut diximus) prodiderunt: alij ſale adſeruatum, alligatumq; grauidis, partus ſoluere. ob id alio nomine odinolyontem appellauere, quòd partus grauidis reſoluat. Pedes eum habere arbitratur Ariſtoteles, ita poſita pinnarum ſimilitudine) Immo Ariſtoteles eodem ſecundo de hiſtoria, negat eum habere pedes, his uerbis. Caret pedibus genus omne ſerpētum, ut piſces. nam echeneidem errore nonnulli pedes habere prodiderunt. expes enim omnino eſt, ſed quoniam pinnas habeat, hinc fit ut pedibus inſtare uideatur. Propterea legendum exiſtimo, pedes eum habere arbitrantur, ex Ariſtotele, ita poſita pennarum ſimilitudine. Sic enim in nonnullis codicibus legitur. Mutianus muricem eſſe latiorem purpura, neque aſpero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte roſtro, ſimplice, concha utroque latere ſeſe colligente: quibus inhærentibus plenam uentis ſtetiſſe nauem, portantem nuncios à Periandro ut caſtrarentur nobiles pueri, conchasq; quæ id præſtiterūt, apud Gnidiorum Venerem coli) De hoc muricis genere quod eiuſmodi potentiæ ſit, libro etiam ſecundo & triceſimo refert Plinius, hoc modo: Nec dubitamus idem ualere ad omnia genera, cum celebri & conſecrato etiam exemplo apud Gnidiam Venerē conchas etiam eiuſdem potentiæ credi neceſſe ſit. Trebius Niger ſeſquipedalem eſſe) Vetuſti codices omnes pedalem habent, non ſeſquipedalem. nam ſi ſeſquipedalis eſſet, hoc eſt unius pedis & ſemis, non eſſet paruæ menſuræ, neque Ariſtoteles & Plinius echeneidem piſciculum ſeu piſcem admodum paruum eſſe retuliſſent. Quare uel pedalem, ut antiqua lectio, uel ſemipedalem legendum, ut in. 32. uolumine teſtatum reliquit, licet ad cubiti magnitudinē peruenire poſſe Oppianus tradiderit, cui quidē hac in re non aſtipulor.

EX CAPITE XXVI.

Mutant piſces colorem. Candidæ hyeme mænæ, & fiunt æſtate nigriores) Ariſtoteles octauo de hiſtoria, mæna, inquit, etiam mutatur, ut dixi, & ſmaris: ut ex albedine rurſus æſtate ad nigredinem redeant, quod maximè ſuis pinnis & branchijs declarant. dixit æſtate fieri nigriores, quia ſuſcipiunt colores cæruleos, qui quo ad albedinem ſunt obſcuriores & nigriores.

nigriores. eſt igitur mæna piſciculus digitalis longitudinis, hyeme candida, æſtate uaria picturis cæruleis obliquis, uulgo menula appellata: quam & ſucci melioris eſſe quàm cobiones Hiceſius teſtatur. laudatiſſima ex Lipara: quæ cum utero grauis eſt, tunc melior. forma rotundior fœminæ, porrectior mari & latior. Euenit ut cum fœtu impleri fœmina incipit, maris color in nigredinem plúſque uarietatis mutetur, & caro deterrima cibo efficiatur. uocantur à nonnullis per id tempus tragi, id eſt hirci. parit brumali tempore. Mænam Græci mænida uocant. Theodorus mænides in Ariſtotele mænas & aleces, & mænidia, hoc eſt mænas paruas aleculas, quaſi ex Plauto tranſtulit. necnon piſces quoſdam ſale inueteratos, arengas dictas, clupeis ſimiles, qui ex Belgis & Menapijs in Germaniam & Pannoniam afferuntur, ipſi aleces uocant. ſunt leucomænides, hoc eſt mænæ candidæ, ſmarides à Græcis proprio nomine uocatæ, quas illi hodie quoque ſmarides, & noſtri girrulos ſiue gerrulos cognominant. hi nanque candidiores ſunt ex hoc genere. Vnde ab ea piſcis qualitate homines ubi præ metu aliquo exangues & pallidi ac quaſi candidi, cuiuſmodi ipſi piſces ſmarides dicti, effecti ſunt, ſmaritos appellare ſolemus, quæ & marides & cynoſeuma à nõnullis uocantur, ut inquit Athenæus. Theodorus ſmarides cerros uidetur conuertiſſe, ut fortè Gerres piſces ignobiles gerrulos modò uocari exiſtimans gerres ſcripſerit, & librarius corruperit. Sunt & Boces mæne illo maiores, quas Græci in hodiernum diem Boopas, ut Ariſtophanes Byzantius, & Veneti Boobas cognominant, aluo idoneæ, & bonæ concoctionis ſi elixentur, in prunis uerò toſtæ dulciores & molliores, ut author eſt Diphilus, quas & Boicas Numenius appellauit. Speuſippus libro ſecundo de ſimilibus dixit boaca & ſmaridas ſimiles eſſe mænæ. ſed & bocas à Feſto uidetur nuncupari: Bocas, inquit, piſcis genus eſt à boando, id eſt uocem emittẽdo nominatus. boces Theodorus uocas interpretatur, ex eo fortè quòd legerat apud Athenæum boacas dici à uoce, & Mercurio ſacros eſſe, quemadmodum Citharum Apollini. Pherecrates etiam inquit nullum aliũ piſcem eſſe uocalem præterquàm boax. Sic & Speuſippus & alij attici (ut inquit Athenæus) boacas appellarunt, Ariſtophanis teſtimonio. uerùm Athenæus reprehendit Ariſtophanem Byzantium, quòd non boacas ſed boopas uocari tradiderit, quòd paruæ ſint, & magnos oculos obtineant, hac ratione, ꝙ Silurus cum frequenter caudam quatiat, Siurum appellare deberemus, quod tamen non facimus. non enim ſiurum ſed ſilurum uocamus, ſicuti nec Carcinon qui pupillas mouet, Coracinum appellamus. qui enim pupillas continue mouet, coracinus uocatur. Mutat & Phycis, reliquo tempore candida, uere uaria. eadem piſcium ſola nidificat ex alga, atque in nido parit) Ariſtoteles octauo de hiſtoria. Phycis etiam mutat colorem. cum enim cæteris temporibus candida ſit, uerno uaria redditur. ſolam hanc ex marinis piſcibus nidum ſibi conſternere atq; in ſtragula parere aiunt. quam etiã Phycon uocauit. Theodorus Fucam conuertit. ita enim dicitur, quoniã piſciũ ſola nidificet ex alga, quã Græci phycon uocãt: qui circa algas uerſatur: & quãquam cætera abſtinet carne, tamen ſuillas ſæpenumero appetit. hunc Græci Phyceam uulgo nominant. De phycide Hippocrates, Dioſcorides, Athenæus & Oppianus. Diphilus uerò phycidas, & phycænas, quaſi genera duo, ſed uicina tamẽ, inter ſaxatiles enumerat, inquiẽs: Phycæna & phycis ex ſaxatilibus cum ſint molliſſimi piſciculi, facilè corrũpuntur. Volat hirundo, ſanè perquã ſimilis uolucri hirundini) Ariſtoteles. 4. de hiſtoria: atq; etiã, inquit, marinæ hirundines quæ ſublimes uolitant, haudquaquam mare attingentes.

Sunt enim his pennæ latæ & longæ. & eſt hirundo piſcis notus, dictus à Græcis Chelidon, lucernæ piſci ualde ſimilis, in nauigia uelis euntia ſæpe uolitãs: unde & nautæ illi piſces huiuſmodi captos ſolent templis offerre, ac ſuſpendere. In quodam Mauritaniæ flumine inquit Strabo hirundines piſces gigni ſeptenûm cubitorum quæ gulam perforatam habeant, per quam reſpirent. Sed & aliud piſcis genus Chelidon eſt, polypo, ut inquit Diphilus, ſimile, humorem habens qui bonum colorem facit, & ſanguinem mouet. & Chelidonias pelamidum genus, quam & Tritonem appellari diximus. Speuſippus coccyga, chelidona & triglam ſimiles eſſe tradit: & chelidon ſiue hirundo auis eſt nota quæ in domibus noſtris nidificat.

EX CAPITE XXVII.

Item Miluus ſubit in ſumma maria, piſcis ex argumento appellatus lucerna, linguáque ignea per os exerta tranquillis noctibus relucet) Miluus ſiue lucerna, quem Græci ieraca & irica uocant. De hoc piſce meminit Oppianus Athenæus & Diphilus, qui durioris eſſe carnis quàm cuculus, in reliquis ſimilis teſtatus eſt. hunc piſcem Romani piſcem caponem hodie cognominãt, ut mirer aliquos lucernam piſcem Venetijs minime reperiri, ac de genere mullorum eſſe aſſerentes: cum mulli ſquammas habeant, ut author eſt Plinius, quibus lucerna omnino caret. ſed hi non nouerant caponem piſcem antiquis Romanis pariterq; Venetis lucernam cognominari. Sciendum tamen, uolucrem quam Ariſtoteles Ictinon uocauit, miluum à Theodoro conuerti: qui & uolucrem ieraca ab Ariſtotele uocatam, accipitrem interpretatus eſt. Attollit cornua è mari ſeſquipedalia ferè cornuta, quæ ab his nomen traxit) Ipſe potius legerem, Attollit cornuta è mari ſeſquipedalia ferè cornua, ut omnes codices habent. Quis enim tam rudis eſt qui ſequentia uerba, ſcilicet, quæ ab his nomen traxit, non ad cornutam referat? Cornuta uidetur eſſe piſcis magnus, cum Plinius inter piſces maiores connumerauerit lib. 32. cornua habens ſeſquipedalia, hoc eſt longitudinis pedis unius & ſemis, unde nomen accepit.

EX CAPITE XXVIII.

Piſcium quidam ſanguine carent, de quibus dicemus. Sunt autẽ tria genera, in primis quæ mollia appellantur) Ariſtoteles de hiſtoria lib. 4. Nunc, inquit, ordinem animalium quæ ſanguine carent, perſequemur. genera in hoc ordine plura ſunt. Primum quæ mollia appellauimus, hoc eſt quæ ſanguine carent, & foris carne molli obducta, ſolidum intus modo ſanguinei generis continent, quale ſepia eſt. Deinde contecta cruſtis tenuibus) Ariſtoteles eodem loco: Secũdum quæ cruſtis tenuibus operiuntur, hoc eſt quæ partem ſolidã foris, mollem carnoſamq; intus continent. Durum illud eorum tegmen non fragile, ſed colliſile eſt, quale cancrorum genus & locuſtarum. Poſtremò teſtis concluſa duris) Ariſtoteles ibidem: Tertium quæ ſilicea teſta concluſa muniũtur. hoc eſt quibus pars carnea intus ſolida, foris fragilis atq; ruptilis non colliſilis, quale genus concharum & oſtrearum eſt. Mollia ſunt loligo, ſepia, polypus, & cætera eius generis) Mollia, quæ malacia Græci uocant, inde dicta ſunt, quoniã non ſquamma, non teſta, non cute dura aut aſpera, ſed carne molli obducta ſunt: ut loligo, ſepia, polypus, & reliqua id genus. Loligo igitur quæ teuthis græce dicitur, piſcis eſt ſepiæ ſimilis, uerũ oblongior & anguſtior, pedibus octonis breuioribus ijs quàm ſunt polypi, intus per dorſum & corporis prona procurrente gladiolo chartilagineo: unde à thecæ calamariæ ſimilitudine, quoniã ceu cultrum & calamum retinere uideatur, piſcem calamarium appellant.

pellant. Obtinet & ipſa nigrum illum humorem atramentum uocatum. Loligo, inquit Diphilus, facilius concoquitur, ſed inſuauis eſt. Sepia quoque eiuſdem ſimilitudinis cum loligne eſt, octonis pedibus, ſolidum intus quoddam inſertũ continens quod ſepium uocant. Et ſi Columella ſepiæ teſtum appellauerit lib. 6. differens à gladiolo, quod robuſtius latiusq́; eſt, inter ſpinam & os mediam præ ſe ferens naturam, fungoſam intra ſe complectens & friabilem corpulentiam. Venatur etiam ſuis illis prælongis prætentatis, non ſolùm piſciculos, ſed mugiles etiam ſæpius. Verùm cum icta eſt tridente, mas fœminã adiuuat: fœmina mare percuſſo fugam arripit. mutat hæc more polypi ſuũ colorem. eam enim colorem ſibi contrahere ſimilem loco in quo uerſatur, autumant, cuius atramentum aluum mouet authore Celſo. Diphilus inquit, Sepia elixa mollis eſt, & ſuauis, & facilè concoquitur, & bonam aluum facit. ſuccus uerò ipſius ſanguinẽ extenuat, & mouet per hæmorrhoidas. Polypus à pedum multitudine quaſi multipes dictus, piſcis eſt ex mollium genere octonis pedibus, per quos acetabula quædã diſperſa habet, quibus haurit quodammodo cui adhæſit, & ita tenet ut nequeat diuelli. comprehenſum hominem in terram deijcit. uerùm differt à cæteris quæ modo enumeraui mollibus, eò quòd alueus polypi paruus eſt, & crura prælonga. cæteris ediuerſo, alueus amplus, crura breuia, ita ut poteſtas nulla ſit ingrediendi. hic piſcis plurimum alit, & libidinem maximè iritare creditur, ut Diphilus, Alexis, & Paulus Aegineta tradidere. durus tamen eſt, & difficilis concoctionis, maior uerò maioris eſt alimenti. elixus humectat aluum. habet humorem quodammodo ſalſum. ſi uerò concoctione uincatur, haud parum alimenti corpori præbet. Scribit Athenæus Philoxenum Cythereum, polypum binûm cubitorũ excepto capite comediſſe, ob idq́; in ægritudinem mortemq́; incidiſſe. Itemq́; Diogenem Cynicum polypum crudum comediſſe, ac ex eo defunctum eſſe, quod item Laërtius teſtari uidetur, quanquã de eius morte uariæ extiterunt opiniones. His caput inter pedes & in uentre, pediculi octoni omnibus) Legendum, his caput inter pedes & uentrem. non enim caput in uentre mollia habent, ſed inter pedes & uentrem ex Ariſtotele de hiſtoria lib. 4. inquit enim: Euenit in mollibus ſane omnibus, ut caput inter pedes & uentrem habeatur. pediculi ergo octoni omnibus binis acetabulorum ordinibus ductu perpetuo omnibus, excepto genere uno polyporum. Theodorus pro pediculis brachia interpretatur, quæ & crura, & barbas & cirros ibidem uocauit, ſed & crines Plinius quandoq;. uerùm duos ex his longiores Ariſtoteles promuſcides appellauit. Sepiæ & loligni pedes duo ex his longiſſimi & aſperi, quibus ad ora admouent cibos, & in fluctibus ſe uelut anchoris ſtabiliunt, cæteri cirri quibus uenantur) Eradendum eſt punctum quod inter duo & ex, ſcriptum eſt, ut legatur, ſepiæ & loligni pedes duo ex his longiſſimi &c. Ariſtoteles eodem lib. 4. Sepiæ, inquit, loligines & lollij peculiares binas ſortiuntur promuſcides longas, acetabulo parte extima bino, aſperiuſculas, quibus capiunt, & ad ora admouẽt cibos. ijs etiam quoties tempeſtates urgent, ad ſaxa aliqua adhærentes ſe uelut anchoris iactis ſtabiliunt. quod repetit etiam quarto de partibus animalium his uerbis, Habent ſepiæ & loligines pedes ſupra dentes ſenos exiguos, eorumq́; nouiſſimos duos maiores: reliquos autem octonorum duos infra omnium maximos. ut enim quadrupedibus crura poſteriora firmiora ualidioráque ſunt: ita ijs quoq; maximi qui infra habentur. his enim onus ſuſtinetur, motusq́; potiſſimum agitur. duo etiam illi nouiſſimi maiores ſuis medijs ſunt, quia illis miniſtrent. polypus medios quatuor habet maximos. omnibus

igitur his pedes octoni,ſed ſepijs & loliginibus breues,polypis magni.aluum enim corporis ſepiæ & loligines habent magnum,polypi paruum:itaq; quod natura polypis ex corpore dempſerat, id in pedum lõgitudinẽ addidit.quod ſepijs & loliginibus de pedibus abſtulerat, eo corporis magnitudinem auxit. quam ob rem polypis pedes non ſolum ad nandum utiles ſunt, ſed etiam ad ambulandum.ſepijs autẽ & loliginibus inutiles ſunt.parui ſunt enim,cum aluenn habeant magnum.cum itaq; pedes habeant breues atq; inutiles, ne æſtu maris tempeſtateq; exturbentur ſaxis,utq; de longinquo admoueant:ideo promuſcides binas prælongas habent,quibus uelut anchoris innitantur,ſeq; ſtabiliãt modo nauigij tempeſtate urgente, uenentur etiam procul,oriq; è longinquo admoueant. Diiudicent ergo alij quid uelit innuere Plinius his uerbis:Cæteri cirri cum quibus uenantur:cum Ariſtoteles unde hæc Plinius mutuatur,ſepias & loligines non cum cæteris pedibus ſeu cirris,ſed cum duobus ijs duntaxat longioribus promuſcidibus appellatis uenari tradiderit. Verùm ſi diuinare fas eſt, uel expungenda ſunt uerba cæteri cirri,tanquam addititia,legendumq; ſit, ſepiæ & loligini pedes duo ex his longiſsimi & aſperi,quibus ad ora admouent cibos, & in fluctibus ſe uelut anchoris ſtabiliunt,cum quibus uenantur. quemadmodum Ariſtoteles de ſepijs & loliginibus: pedes duo longiſsimi ſunt quibus uenantur,oriq; cibos admouent.cæteris uerò,ut polypis,ut bolitænis & huiuſmodi,ſunt cirri quibus uenantur. Nam Ariſtoteles ibidem ubi uerba de ſepijs & loliginibus fecit: uidelicet,ideo promiſcides binas prælongas habẽt,quibus uelut anchoris innitantur, ſeq; ſtabiliant modo nauigij tempeſtate urgente, uenentur etiam procul, oriq; è longinquo admoueant,ſtatim ſubſequens inquit,Polypi promuſcide carent, quoniam pedes ad uſum eundem commodos habeant:hoc eſt ad uenandum,ciboſq; ori admouendum. & quarto etiam de hiſtoria,Polypus, inquit, ſuis brachijs ut pedibus ac manibus utitur, quippe quibus duobus ſupra os poſitis cibum admoueat. ſunt tamen codices in quibus non cirri,ſed curti legitur,hoc modo:cæteri curti ſunt,quibus uenantur. quod neque etiam quadrat,præſertim cum ſepiæ atque loligines non pedibus curtis, ſed duobus ijs longiſsimis, uti retulimus,uenentur ex Ariſtotele.

EX CAPITE XXIX.

Loligo etiam uolitat extra aquam ſe efferens,quod & pectunculi faciũt, ſagittæ modo) Hoc excerpſit à Trebio Nigro & M. Varrone ubi de lingua latina dicit: Loligo quòd ſubuolat, litera commutata prima uoligo. *Sepiarum generis mares uarij, & nigriores, conſtantiæq; maioris.* Ariſtoteles quarto de hiſtoria: Cum uerò mares,inquit, in hoc genere à fœminis differũt,tamen uel maximè ſepiæ id probant. Mas enim prona ſui corporis nigriora ſupinus potius,parteſq; omnes aſperiores habet quàm fœmina, & lineis interuenientibus uarias,caudam etiam acutiorem. & quinto eiuſdem hiſtoriæ de ſepiæ partu loquens, Mas, inquit,uarius magis quàm fœmina,dorſoq; atriore eſt. *Ambo autem ubi ſenſere ſe apprehendi,effuſo atramento quod pro ſangune his eſt,infuſcata aqua abſconduntur)* Ariſtoteles quarto de hiſtoria: Viſcera,inquit,mollium nullis,ſed habent quã mutem appellant, atrumq; illum humorem cui nomen atramentũ,quod plurimum in ſepia eſt. effundunt ſuum id atramentum omnia metu perculſa,ſed præcipuè ſepia. & nono de hiſtoria: Mollium aſtutiſsima ſepia eſt. ſola hæc ſuo utitur atramento non modo cum metuit, uerum etiam abſcondendi cauſſa.polypus atque loligo atramentum præ metu mittunt, ſed accreſcit denuo poſtquam miſerunt,

miſerunt,ut nunquam copia deſit atramenti. Cæterum ſepia,ut dixi,ſæpe uel ſine pauore ſuo utitur atramento ad ſe occultandam, & cum progreſſa paulùlum ſeſe oſtenderit, redit in atramentum. quod item quarto de partibus animalium refert. quod quidem atramentum non his pro ſanguine ineſt,ut minus rectè Plinius hic tradidiſſe uidetur: cum illud quod pro ſanguine in animalibus exãguibus habetur, ſit humor ſeu uitalis ſuccus ille qui per totũ corpus diffunditur,ut ſuccus uerbi gratia qui ex carne ſepiæ uel locuſtæ marinæ exprimitur: quo humore ſi aut per uim, aut per naturam priuentur hæc animalia,in perniciem agantur neceſſe eſt. Atramentum autem quod in ſepia eſt,cum uitalis humor non ſit,pro ſanguine non habetur,ſed eſt excrementũ,quod præſidij ſalutisq; gratia obtinet tunica contentum membranea,exitum finemq; habens,qua alui excrementa emittunt parte quæ fiſtula uocatur,quæ in ſupinis poſita eſt: quo utitur non modo cum metuit,uerùm etiam cum ſe abſcondere uelit. quoties enim metu perterretur, eiuſmodi atramentum effundit: cuius rei cauſſa eſt,quoniam ſanguine careat,& ob eam rem refrigerata & pauida. hinc ut hominum nonnullis per metum funditur aluus,aut excrementum ueſicæ profluit: ſic ſepiæ accidit quidem neceſſario, ut metu perculſa atrum illum humorem effundat. Abſcondendi autem cauſſa, quia hoc effuſo humore aquam infuſcat,ſibiq; nigrorem ſepium proponit,& turbulẽtiam,quaſi quo ſe abſcondat. Item ſi hoc atramẽtum pro ſanguine obtineret,non effunderet,ſed pro ſui corporis alimento conſeruaret: nec tunica illa membranea tantũ,ſed alijs quoq; partibus contineretur, cum ſanguis ſit nutrimentũ & materia ſpiritus,quibus continetur uita & actus omnis. Vnde nonnulli animã eſſe ſanguinem prodiderũt,ſicut Critias, ut traditur ab Ariſtotele primo de anima. Non igitur atramentum ſepiæ pro ſanguine continetur,ſed humor ſiue ſuccus ille in carne ſepiæ contentus,qui ſi exprimatur,non niger,ſed clarus & albicans potius apparebit.

Polyporũ multa genera,terreni maiores q̃ pelagij) *Ariſtoteles. 4. de hiſtoria: Polyporũ, inquit,genera plura ſunt. eſt enim quod & conſpectius & maximũ eſt,cuius terreni maiores q̃ pelagij ſunt: & quod corpore exiguo uarioq; eſt,cibo ineptum: & quod heledonam uocant,crurum prolixitate diuerſum: & quod unum ex mollium numero ſimplicem acetabulorum ordinem agat. Cætera nanq; omnia duplici calculantur. Ad hæc quod alij bolitænam, alij ozolin appellant. Duo item uiſuntur genera conchis indita,quorũ alterum nautilon aliqui uocant,alterũ nauticon,ſiue ouum polypi. teſta ijs ut pectunculis cõcaua, ſimplex tamen, nec ita deſtinata ut ei inhæreant. ſæpius ij iuxta terram paſcuntur, unde euenit ut fluctibus iactati in aridum elidantur,& teſta dilapſa nudi capiantur,aut in terra anima extinguatur. Conſtant exiguo corpore,facie ſimili bolitænis. Eſt etiã qui cochlearũ more ſiliceo tegmine ita muniatur,ut nunq̃ egredi ſoleat,ſuaq; interdũ brachia exerat. Sunt & alia his generibus annumeranda, Polypodinæ, Bolbotinæ, oſmylos, ex Athenæo, ut Ariſtoteles alibi & Speuſippus narrant. & Chelidon quæ ſimilis polypo eſt,humorem habẽs,ut inquit Diphilus, qui bonum colorem facit,& ſanguinem mouet. Eſt & polypus(ut legitur apud Hippocratẽ & Celſum libro de medicina ſexto)caruncula modo alba,modo ſubrubra, quæ narium oſſi inhæret,& modo ad labra pendens narem implet,modo retro per id foramen quo ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit,adeo increſcit,uti poſt uuam conſpici poſſit. ſtrãgulatq; hominẽ maximè auſtro aut euro flãte,fereq; mollis eſt,raro dura: eaq; magis ſpiritũ impedit,& nares dilatat,quæ ferè carcinodes eſt. Paulus Aegneta, Polypus,inqt, tumor eſt præter naturã*

in naribus conſiſtens, à ſimilitudine marini polypi nominatus, quòd eius carni ſimilis ſit, uel quicũq; ille ſit de definitionibus. Item Galenus, polypus, inquit, à multitudine pedum dicitur. ut enim illi multas habent inciſiones & ſciſſuras, contumeſcuntq́; & increſcunt: ſic morbus iſte eodem modo. Et omnes brachijs ut pedibus ac manibus utũtur. Ariſtoteles eodẽ loco: Vltimo uerò quod & acutius & ſolum albicans eſt, & parte ſui extrema bifurcatũ, dorſoq́; adnexum (dorſum autem partem leuem appellant à qua acetabulorum ordo inchoatur) hoc ultimo inquam brachio in coitu utitur. Eſt polypis fiſtula in dorſo qua tranſmittunt mare. eam modo in dexteram partem modo in ſiniſtram transferunt) Scribendum, eamq́; modo in dexteram partem &c. ut cæteri codices habent. ibidem quoq; Ariſtoteles, fiſtulam, inquit, polypus ante alueum poſitam ſupra brachia gerit cauam, qua mare tranſmittit quãtum ſuo admittit alueo, quoties aliquid ore capit: eamq́; modo in dexteram partem transfert, modo in ſiniſtram. hac eadem fiſtula ſuum quoq; atramentũ fundere aſſolet. Natãt obliqui in caput quod prædurum eſt ſuffocatione uiuentibus) Legendum ſufflatione, non ſuffocatione. hoc eſt caput illud prædurum eſt ſufflatione quandiu uiuũt: tum ex uetuſtis codicibus, tum etiã Ariſtotele, qui ita loco præallegato loquitur. Natat obliquus pedes in eam porrigens partẽ, quod capitis nomine appellatum eſt. Atq; ita efficitur ut cum natat, proſpiciat in aduerſum. nam oculi ſuprà ſunt conſtituti, & os habet ex aduerſo. caput illud polypis quandiu uiuunt, prædurum & quaſi inflatum eſt. Cæterum per brachia uelut acetabulis diſperſis eo hauſto quodammodo cui adhæreſcunt, tenent ſupini, ut auelli non queant. Vada non apprehendunt) Ibidem Ariſtoteles, Tãgunt, inquit, ac tenent brachijs ſupinis, membranamq́; interiectam totam extendunt, in arenam tamen elapſis facultas apprehendendi retinendiq; nulla eſt. Soli mollium in ſiccum exeunt, duntaxat aſperum: leuitatem odere) Ariſtoteles de natura animalium lib. 9. mollium, inquit, unus polypus exit in ſiccum, graditur per aſperiora, uitat leuia. Validum cum cæteris ſuis partibus hoc animal ſit, collo tamen imbecille cum premitur eſt. Mollia ita ſe habent. Conchas tenuiores ſcabraſq́; efficere circum ſe uelut loricam duram, eamq́; eo ampliorem quo ipſæ ſunt ampliores, atque de ea quaſi latibulo aut caſula quadam prodire aiunt. Veſcuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt: itaq́; præiacentibus teſtis cubile eorum deprehẽditur) Ariſtoteles ait octauo de hiſtoria: polypi conchulis maximè extringentes carunculas ueſcuntur: unde fit ut eorũ cubilia cognoſcant qui uenantur, congerie teſtarum. Et quum alioqain brutum habeatur animal, ut quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet. omnia in domũ comportat, dein putamina roſa carne egerit, annatantes piſcicudos ad ea uenatur. colorem mutat ad ſimilitudinem loci, & maximè in metu) Legendum uidetur, annatanteſq́; piſciculos ad ea uenatur, ex codicibus omnibus tum manu ſcriptis, tum etiã impreſſis. Ariſtotels nono de hiſtoria, polypus, inquit, fatuus quidem eſt, quem ad manũ demiſſam hominis accedi.: ſed prudens rei familiaris, cum omnia colligat, & ſuo in domicilio recondat. Cumq́; conſumpſerit quantum utile ſit, abijcit teſtas, & cancrorum cruſtas, & putamina conchularum, & ſpinas piſciculorum. ſui etiã mutatione coloris uenatur piſces. trahit enim colorem ſimilem ijs quibus appropinquarit ſaxis, quod idem etiam cum metuerit facit, quæ & Theognis in elegijs, Clearchus & Athenæus tradidere. Ipſum ſua brachia rodere falſa opinio eſt. id enim à congris euenit ei) huius opinionis Pherecratem fuiſſe ex Athenæo conſtat, quem etiam imi-

tatus

tatus eſt Oppianus. Vnde Alcæus dicere ſolebat: Comedo meipſum, ut polypus. Itemq; Aelianus, polypus, inquit, uoracißimus omniū marinorum eſt. cum prædæ inopia laborat, cirris ſuis deroſis ſaturatur, quaſi natura id fami remedium ipſi præparauerit. ſi quis polypis rutam impoſuerit, immobiles manent. hæc ille, ſed cur hoc uerisimile eſſe non poteſt, ut polypis interdum à ſibi ipſis, & interdum à congris brachia prærodi contingat, quādo & cercopithecos deſiderio carnis comedendæ correptos caudam ſibi prærodere uideamus? licet Ariſtoteles octauo de hiſtoria contradicat, his uerbis: Quod autem nonnulli aiunt polypum ſe ipſum eſſe, falſum eſt, ſed aliqui ſua brachia corroſa habēt à congris. Sed renaſci ſicut colotis & lacertis caudam, haud falſum) Ariſtoteles ſecundo de hiſtoria, caudæ etiam lacertis atq; ſerpentibus amputatæ renaſcuntur. Supinus in ſumma æquorum peruenit ita ſe paulatim ſubrigens, ut emiſſa omni per fiſtulam aqua uelut exoneratus ſentina facile nauiget. poſtea duo prima brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit. qua uelificante in auras cæteris ſubremigans brachijs, media cauda ut gubernaculo ſe regit. ita uadit alto Liburnicarum gaudens imagine, & ſi quid pauoris interueniat, hauſta ſe mergens aqua) Quæ Plinius nautilo ſiue pompilo, Ariſtoteles polypo contribuiſſe uidetur. Verba Ariſtotelis hæc ſunt nono de hiſtoria: Nauta quoq; polypus natura & uitæ muneribus ſingularis eſt. Nauigat enim per maris ſumma elatus de imo gurgite. effert ſe concha inuerſa ut aſcendere poßit facilius, & inani ſcapha enauiget. ubi uero emerſit, concham reuertit. habet inter ſua brachia membranulam quandam annexam, ſimilem ijs quæ digitis inſertæ palmipedum auium continent. uerūm illæ craſſiuſculæ ſunt, hæc prætenuis eſt, & araneæ ſpeciem imitatur: hac uelificat cum aura inſpirat. cirros pro gubernaculis utroque demittit latere. ſi quid metuerit, concham protinus mari replet, atq; ita demergit. de generatione incrementoq; eius conchæ nihil adhuc exploratum habeo, uidetur tamen non ex coitu gigni, ſed ſponte ut cæteræ conchæ prouenire. nec uerò an concha ſolutus uiuere poßit, certum adhuc eſt.

EX CAPITE XXX.

Polyporum generis Ozena dicta à graui capitis odore) Ozenam polypi genus Ariſtoteles quarto de hiſtoria ozolin & bolitenan uidetur appellaſſe, de qua diximus ſuperius, frequens in Laconia, quæ regio nunc Zaconia dicitur, dicta quòd ea uox odorem illum & uirus graue ſignificat. Theodorus oſſolem conuertit. Eſt & ozena ulcus in narium altitudinem uſq; oſſa illa quæ ab anguſtijs uocātur Iſthmoide, ardens & graue olēs. Humor effluit, odorandi uis adimitur. Celſus libro de medicina ſexto: ſi autem, inquit, ea ulcera circa nares ſunt, pluresq; cruſtas & odorem fœdum habent, quod genus Græci ozenam appellant, ſciri quidem debet uix ei malo poſſe ſuccurri &c. Galenus item, ozena eſt, inquit, exulceratio in naribus in imo fœtida, & graue olens. & oris fœtorem ozen Græci uocant. Vnde & ozenitim nardi quoddā genus apud Gāgem naſcens, uirus redolens Plinio uidetur appellari. ſed ozen caßiæ ſpeciem Aetius uocauit. Polypi binis menſibus conduntur) Ariſtoteles quinto de hiſtoria: polypus, inquit, hyberno tēpore coit, uerno parit, latet circiter mēſes duos. idemq; Athenæus tradit. Vltra bimatum non uiuunt. pereūt autem tabe ſemper: fœminæ celerius, & ferè à partu) Ariſtoteles nono de hiſtoria: genus polyporum magna ex parte biennio uiuere non poteſt. ſua enim natura tabi obnoxium eſt: cuius rei indicium, cum prenſus polypus aliquid humoris emittat, demumq; abſumatur totus, quod fœminis à partu potißimū incidit.

ſtupent etiam fœminæ,ut neq; undis iactatæ ſentiant,& manu urinantis de facili capiantur. ſordeſcunt etiam,nec præterea aßidendo uenari poſſunt.mares uerò alueo tument,& in mucorem lenteſcunt.Indicium ne bimatũ compleant,eſſe uidetur,quòd ab ortu eorum,qui æſtate fit ad autumnum,non facilè grandem polypum uideris,cum paulo ante id tempus prægrãdes ſpectentur.à partu ita ſeneſcere debilitariq́; tam marem quàm fœminam ferunt,ut uel à piſciculis deuorentur,& facilè à ſuis detrahantur cubilibus,cum antea nihil tale ijs uſu eueniat: tum uerò paruos nouellosq́; quamuis recens natos, tamen nullo eiuſmodi malo affici narrant: quinimò ualidiores eſſe q̃ grãdes confirmãt.Sepias etiam bimatu non uiuere apertum eſt. Luctatur enim complexu,& ſorbet acetabulis, ac numeroſo ſuctu detrahit eum) Acetabula ſunt caliculi illi in brachijs polyporũ,qui rei cuiq; admoti ueluti cucurbitulæ ſuo hauſtu adeò tenent ut auelli nequeant. Theodorus autem cotyledonas acetabula interpretatur. Mire omnibus marinis expetentibus odorem quoq; eorũ, qua de cauſſa & naßis illinuntur) Ariſtoteles quarto de hiſtoria,Nidores,inquit,potius genera quæq́; piſciũ appetunt. Vnde etiam carunculas ſepiarum deuſtas odoris gratia eſcam hamis affigunt.ita enim fit ut piſces auidius accedant.polypos etiam aſſatos non niſi nidoris cauſſa naßis inditos dimitti aſſeuerant.Clearchus uerò oleæ ramis polypos capi retulit. his enim maximè oblectantur.

Carteiæ in cetarijs aſſuetus quidam polypus exire &c.) Strabo circa Carteiam polypos non tantæ magnitudinis,ſed talenti pondo reperiri tradidit.Cetariæ dicũtur loca iuxta mare in quibus thynni & alij huiuſmodi piſces capiuntur, & iuxtà ſaliuntur. Exire è mari in lacus eorum apertos) per lacus intelligit tinas,quæ & labra dicuntur. Sepes erãt his obiectæ)Sepes accipitur hoc loco pro ea uiminum ſeu lignorum textura,quæ obiectu introitum prohibet. Barbas quas uix utroq; brachio complecti eſſet) ſic nos quoq; barbas in antiquis exemplaribus legimus.hoc diximus,quia in cæteris omnibus impreßis codicibus branchias pro barbas deprauatè legitur. & intelligit per barbas brachia,quæ & crura & cirri & crines appellantur.nec dixit brachia,quoniam ſtatim ſubſequitur, Quas uix utroq; brachio complecti eſſet.Theodorus quoq; in Ariſtotele quarto de hiſtoria barbas ſimiliter appellauit clauarũ modo toroſas,longas pedum triginta. Acetabulis ſiue caliculis urnalibus peluium modo) Sunt qui corrigunt calicibus,pro caliculis,quippe cum urnalis magnitudinis fuiſſe à Plinio referatur. In noſtro mari loligines quinûm cubitorũ capiũtur, ſepiæ binûm) Ariſtoteles non loligini ſed lolio,hoc eſt teutho contribuiſſe magnitudinẽ huiuſmodi uidetur quarto de hiſtoria,cum dicit: loligine uerò longe grãdior qui lolius nominatur,quippe qui uel in cubita quinq; excreſcat.ſepias quoq; aliquas in bina augeri cubita notum eſt.Itemq́; Strabo duorum cubitorum ſepias non in noſtro mari,ſed circa Carteiam repertas tradit. In hanc condi nauplium animal ſepiæ ſimile,ludendi ſocietate ſola) De nauplio ab alijs authoribus mentionem factã eſſe non inuenio. Ariſtoteles uerò(uti retulimus)duo polyporũ genera conchis indita,nautilum ſcilicet & nauticũ ſimilem facie bolitænis,idem ferè facere teſtatus eſt, quod item ſimili penè modo nautilon nauigare prodidit Oppianus. Id enim ubi cõſtat rumore nauigantiũ humana calamitas in cauſſa eſt) Antiqua lectio clarius ſe habet hoc modo: Niſi fortè triſti(id enim conſtat)omine nauigantium humana calamitas in cauſſa eſt. Mollia autẽ,ut de his aliquid in uniuerſum etiã referamus, nihil oßis, nihil terreni habere diſcretum uidentur,quod dignũ effatu ſit,ſed ferè tota carnoſa & tactui cedentia ſunt.ne tamẽ corpus

eorum

eorum facilè pereat modo illorū quæ carne laſciuiunt,naturā inter carnem & neruum obtinent. mollis enim ut caro eſt,ſed intendi poteſt ut neruus.fißilis autem caro eorum non in directum,ſed in anfractū.ita enim ad uires cōmodior eſſe poteſt.habet etiam quod ſpinis proportionetur,ut ſepiæ quod ſepium uocant,loligines quod gladiolum. polypi nihil huiuſmodi habent,quòd eorū alueus,quem caput appellant,breuior eſt,illorū procerior:ideoq; ut directus inflexusq; maneret,natura his adminiculis faciendum cenſuit:quemadmodum in genere ſanguineo alijs os dedit,alijs ſpinā.Stomachus ſiue gula ab ore prælonga eſt, quā ingluuies excipit,quomodo auibus:tum uenter cōiungitur,& inteſtinum uentri annexum ſimplex uſq; ad exitum tendit.ſepijs igitur & polypis uenter ſimilis tum figura tum tactu eſt. At ijs quas loligines appellamus,bina quidem conceptacula uentris ſpeciem gerunt,ſed alterū minus ingluuiem imitatur,& tactu diſcrepat:quoniā corpus etiam totum carne molliore conſtat. habent hæc ita eas partes eadem cauſſa, qua aues.neq; enim eorū ullum poteſt commolere cibum.itaq; ingluuies uentri præiacet.habent etiam quod atramentum uocatur, quo natura ad præſidium & tutelam eorū abutitur.Sed cum atramentum hoc mollia habeant omnia, tum præcipuè plurimūq; ſepia continet,quod loligines & polypi ſupra apud mutim potius poſitum habent,ſepiæ infra ad aluum.copioſius enim habent,quoniam magis utantur. quod ijs propterea euenit,quia uitam litoralem traducunt, & tamen nihil quo ſibi auxilientur,aliud habent,quomodo polypi & brachijs ſibi ſufficiunt,& coloris mutatione,quæ & ipſa accidit ei per metum,ut effuſio atramenti.loligo ſola ex his gaudet alto, uitamq; pelagicam agit. ſepia igitur plus continet atramēti,& infra,quoniā copioſius.facilius enim & longius profundere maiori ex copia poterit.fit in hoc genere atramentum, ut in auibus,quod per excrementum album terrenū ſubſidat.nam id quoq; caret ueſica, quantumq; terrenū maximè ſit, in atramentū ſecernitur: & plurimū ſepiæ conſiſtit, quoniam plurimū terrenæ materiæ habeat.argumēto ſepium eſt,quod tale tantumq; ſit:hoc enim polypus caret,loligo cartilaginoſum ac tenue gerit.Quā ob cauſſam autem hoc atramentum effundant,ſuperius enarrauimus.Habent hæc foris alueum corporis indiſcretū,& pedes parti priori iunctos circum caput infra oculos,circa os & dentes.ſed cum cætera animalia quibus pedes, aut parte priore poſterioreq; eos habeant,aut latere,ut ea quæ multis pedibus innitantur,& ſanguine carent: hoc unum genus pedes parte quā priorem omnes uocant,continet.cuius rei cauſſa eſt, quòd pars eius poſterior ad priorem adducta eſt, extremaq; coeunt & confunduntur, quo modo turbinatis inter teſtata accidit.His omnibus octoni pedes:ſepiæ autē & loligines promuſcides binas prælongas habēt,quibus polypi carent. quorū autem pedibus acetabula cirramentaq; adſunt.hæc uim contextumq; talem habent,qualem implicamēta illa quibus digitos antiqui medici indere ſolebant.ita enim fibris implexa ſunt,quibus caruncular cæteraq; cedētia trahant,quippe quæ lapſa prehendant,intenta premant & retineant,cum pars interior tota contingat atq; amplectatur.itaq; cum aliud non habeāt quo capere admouereq; poßint,niſi aut pedes aut promuſcides,hæc pro manibus obtinent ad uim tum inferendam, tum propulſandam,atq; etiā ad cætera uitæ munera neceſſaria.ſed cum cætera omnia geminis acetabulis ſeriem à capite in extremos uſq; cirros habeāt ordinatam, genus unum polypi quoddam ſimplici inſpergitur acetabulo,cuius rei cauſſa ad longitudinē tenuitatemq; brachij referēda eſt.cum enim anguſtum ſit,ſimplicis acetabuli ordinem tantum capiat neceſſe eſt. non igitur

ita cõſtant, quia neceſſe ſit propria ſubſtantiæ ratione. pinnulam hæc omnia habent circumdantem alueum, quæ cum in cæteris, tum in grandium loliginum genere iuncta perpetuáq; geſtatur. minores uerò, quas loligines uocant, latiorem hanc habent, nec anguſtam, ut polypi & ſepiæ, neq; circumactam per totum alueum, ſed de medio orſam. Cauſſa cur eam habeant eſt, ut natent & ſe dirigant. ut uolucres cauda pennis cõdita, piſces penna chartilaginata reguntur. polypis hoc minimũ eſt, minimeq́; conſpicuum, quoniã paruum habeant alueum, quẽ ſatis ſuis pedibus dirigere poßint. Habet mollium genus parte quod os uocatur, binos dentes, atq; in ore pro lingua carnoſum quiddam, quo uoluptatem eſculentorum diſcernat. Senſibus quoq; præditum eſt. nam ſepiæ & polypi odore eſcarũ allectanti capiuntur, & polypi quidẽ ita adhæreſcunt, ut auelli inde non poßint, ſed truncari potius patiãtur. At uerò pulicaria herba admota protinus ab odore eius reſilire dicuntur. Guſtus etiam ſimilis ratio. interdum enim cibum perſequuntur diuerſum, nec eiſdem ſaporibus omnia delectantur. Sunt etiã carniuora omnia. nam loligines atq; ſepiæ piſces uel maiores euincunt, polypi conchulis ueſcuntur. Coeunt omnia ut polypi, ſepiæ, loligines, eodem modo. oribus enim inuicem admotis cõplexuq́; mutuo brachiorum libidinem explent. ergo polypis coitus, cum alter capite uulgo appellato in terram uerſo nitibundoq́; explicat porrigitq́; ſua brachia: alter ſuperuenit, paſſisq́; brachijs ſingulis ad ſingula ſubiacentis acetabulorum conceptu mutuo adhæreſcit. Sic enim coniungi neceſſe eſt, quum natura exitum excrementi in os inflectendo adduxerit. Marem etiam nonnulli aiunt gerere quod genitalis ſpeciem referat, ſuo brachio, in quo duo amplißima acetabula habentur. neruo id quaſi conſtare porrectum ad medium uſque brachium confirmant, totumq́; nari fœminæ annecti. Sepiæ ac loligines ora applicantes, & brachia inter ſe complectentes, natantéſque in aduerſum coeunt. narem etiam dictam in narem inſerunt: natatus alteri anteuerſus, alteri in os agitur. Mollibus uuluæ bifidæ etiã ſunt. quæ enim oua eorum uocantur, pro uulua habent membranas quibus continentur. Sed hoc maximè indiſcretum eſt in polypis, ut ſimplex eſſe uideatur. cuius rei cauſſa eſt forma corporis, quæ ſimilis nanti eſt. meatus ille interior idem excrementi & uuluæ eſt. eſt enim qua ſemen genitale per meatum emittant: idq́; parte corporis ſupina qua putamen diſtat, & mare illabitur faciũt. Quamobrem ea parte mas cum fœmina copulatur. nam ſi mas ſiue ſemen, ſiue membrum aut aliquam uirtutem, ſiue uim aliam mittit, ad noueri ad meatum uulualem neceſſe eſt. crinis uerò inſertio maris polypi per fiſtulam, qua piſcatores crine coire polypos aiunt, cõplexus gratia fit, non quaſi inſtrumentum id ſit utile ad generationem. etenim extra meatũ corpusq; eſt. Interdum tergis quoque mollia copulantur, ſed generationis ne gratia, an alia cauſſa, nondum exploratum habetur. pariunt ea quoq; per coitum, & quidem ſæpe mas cõiunctus cum fœmina uiſus eſt. quamobrem hinc etiã hiſtorice nequaq̃ dicere illi uidentur, qui piſces omnes fœminas eſſe autumãt, nec per coitum parere. hæc enim oriri per coitum arbitrari illos non mirum eſt: aut ſi hæc ita parere illos latuit, indiciũ imperitiæ eſt. diutius hæc q̃ cætera coeunt, more inſectorum, ratione. ſunt enim exanguia, & ob eam rem frigida natura. ſepijs & lolignibus oua gemina apparent: quoniam uulua earũ ita articulata, ut bifida cernatur. At polyporum omnium ſimplex eſt, cauſſa, forma eorum uteri, quæ ſpecie rotunda cõglobataq́; eſt. fißio enim eius iam repleri incerta eſt. uerno autẽ tempore pariunt, & ſepia in primis. parit hæc omnibus anni temporibus. mares & fœminæ incedere coniugatim ſolent.

polypus

polypus hyberno tempore coit, uerno parit, ouum ueluti cirrum edit, uel in cubilibus, uel in figlino, uel in quo alio cauo, labruſcæ florentis racemulis, aut fructui populi albæ ſimile, incomptum foris & grande, intus humorem candicantem concolorem totum atq; æquabilem continens. perquam fœcũdum hoc animal eſt. nam de eo quod ediderit, copia innumera prouenit. diſcrepat mas à fœmina, eo quòd capite eſt productiore, & quod genitale piſcatores appellant, albidum ſuo in brachio continet. fouet polypus oua quæ ediderit, quamobrem deterrimi tantiſper efficiuntur: haud enim paſtum prodire patiuntur. pendent utiq; per cubile oua tanta fœcunditate, ut collectis uas impleatur longè amplius, q̃ caput ſit, quo continebantur. Polyporũ itaq; ouis diebus pòſt quinquaginta maximè ruptis, polypuli modo araneorũ perquã multi exſerpunt: quorum natura ſigillatim nondum conſpicua eſt, quanquam forma ſatis tota apparet, ſed ob exiguitatem imbecillitatemq́; copia interit. iam nonnulli adeo ſpectantur exigui, ut nulla partium conſtent diſtinctione, quamuis ad tactum moueãtur. Oua quæ ſepiæ edunt, magnitudinem myrtorũ capiunt, & nigreſcunt: emiſſo enim atramento parentis infunduntur, atq; ita inficiuntur. cohærẽt inter ſe ad ſpeciem racemi, cuncta uni obducta cuidam nexui, nec facilè alterum detrahi ab altero poteſt. mas enim humorem quendam mucoris mittit, cuius lentore tenaciter oua ſibi cohæreſcunt, ac creſcunt etiam hoc. & cum primũ edita candida ſint atq; exigua, mox atramento perfuſa nigra maioraq́; redduntur. Cumque ſepiola iam intus conſtiterit, uidelicet tota ex candido oui interno concreſcens, tum rupta oui membranula proles exit. primùm pars illa interior candida ueluti grando conſiſtit, cum fœmina ſuum atramentum aſperſerit. Naſcitur enim ſepiola ex eo ipſo candicante corpuſculo, uerſa in caput modo auium uentre annexo. Sed qualisnam ſit in his annexus umbilici, nondum exploratum habemus. Conſtat tamen cãdidum illud ſubinde diminui, dum ſepiola augetur. & ad poſtremũ ut luteum auibus ſic candidum his aboleri. primùm oculi grandes in his quoq; perinde ut in cæteris apparent. pariunt ſepiæ intra diem decimumquintum, mox oua edita craßitudinem acinorum uuæ minorũ intra diem item decimumquintum capiũt, quibus obruptis ſepiolæ excluduntur: quæ ſi quis prius prole iam perfecta abſciderit oui membranam, ſtercuſculum mittunt, ſuumq́; præ metu colorem immutant ex candicãte in rubriuſculũ. Sed cum genus omne cruſtatum ſibi iuncta contineat oua, itaq́; foueat, polypus & ſepia, & reliqua generis eiuſdem, oua quæ pepererint abſoluta fouẽt: & præcipuè ſepia, quippe cuius ſæpenumero alueus iuxta terram, dum hoc facit, appareat. Polypus fœmina modo incubat ouis, modo in ore ſui cubilis aßidens brachiũ ſuper ouis exporrectũ tenet. Sepia parit iuxta terram inter algas & arundines, & ſi quod aggeſtum tale iniectum ſit, ut ſarmẽta, aut lapides, aut quælibet alia materiei congeries. & quidem piſcatores de induſtria faſces ſarmentorum diſponunt. hæc perlibenter in eis loculamentis parit prolixam illam cõtinentemq́; ſeriem ouorum, qualis cirri muliebris ſpecies eſt. enititur aluum per interualla reprimens, inſpergitq́; atramentum interpoſita quiete, utpote cum non niſi cum labore emittat. Loligines in alto pariunt. conſertum ijs quoq; ouum quale ſepijs eſt. uiuendi ſpatium tam ſepiæ q̃ loligini breue: nam exceptis paucis bimatum non complent. polypis etiam tantundem temporis ad uiuendum datum eſt. prodeunt è ſingulis ſepiarum ouis ſepiolæ ſingulæ, quod idem in genere etiã loliginum fit. Inter loliginem marem & fœminã hoc intereſt, quòd fœmina inteſtinis cõtinet duo ueluti mammas, quæ ſi aluo diſiecta inſpectes, facilè uideris. Mas omnino illis

caret. Sepia tum hoc idem diſcrimen habet, tum uerò quòd mas uarius pluſquam fœmina eſt, ut expoſui. Præſtant mollia cum grauida ſunt, ut loligines, ſepiæ, polypi. ſed dura ſunt, concoctioniq; renituntur. quod item Galenus tradit. ideo ad rem ueneream (inquit Athenæus) maximè præſtant, quoniam ſpiritus multos aggenerant. In ponto mollia non ſunt, niſi locis quibuſdam pauca. Sed de mollibus hactenus. Locuſtæ cruſta fragili muniuntur, in eo genere quod caret ſanguine) *De cãcris hac parte caput inchoare debuiſſet. nam male ſunt capita hæc diſtincta. cum enim tria ſint piſcium genera quæ ſanguine carent, primum uidelicet quæ mollia nuncupauimus: ſecundum, quæ cruſtis tenuibus integuntur: tertium, quæ ſilicea teſta operiuntur: unumquodq; genus ſingillatim ſuo per ſe capite diſtinguendum fuiſſet, non autẽ cruſtata mollibus, & teſtata cruſta intectis admiſceri debuiſſent. Quod autẽ hic Plinius locuſtas cruſta fragili muniri tradidit, ei eſt in oppoſitum quod Ariſtoteles. 4. de hiſtoria (ubi poſt mollium genus, quod inter ea quæ ſanguine uacant, primũ, ut modo dixi, obtinet locum, mox cruſtatorũ genus ſubiungit) dixit. Secũdum, quæ cruſtis tenuibus operiũtur, hoc eſt quæ partem ſolidam foris, mollem carnoſamq; intus continent. Durum illud eorum tegmen non fragile ſed colliſile eſt, quale cancrorũ genus & locuſtarũ. ea autem quæ tegmine ſiliceo non cruſtaceo muniũtur, teſta fragili atq; ruptili eſſe prodidit. ita enim ſubſequitur ibidẽ. Tertiũ, quæ ſilicea teſta cõcluſa muniũtur, hoc eſt quibus pars carnea intus ſolida, foris fragilis atq; ruptilis, non colliſilis, quale genus concharũ & oſtrearũ eſt. Eſt autem locuſta marina è cruſtatorum genere maxima, quæ carabos græce dicitur, aſtaco ſimilis, pedibus utroq; ex latere quinis, ultimis annumeratis, qui in forcipem exeunt denticulatũ, cuius pars anterior quam caput appellant, tota ſpinulis horret. eminent à fronte duo oſsicula acuta denticulataq;, quibus ſubiacent oculi exerti duri, myrti ſeminis magnitudine: cornua ante oculos bina longa & aſpera prodeunt, à principio craſſa, dura, articulata, & ſpinulis hirta, cætero lenta & flexilia, in tenuitatem deficientia: quibus bina item alia minora, leuiora articulataq;, & in extremitate bifurcata cornicula ſubiacent. Pars autem poſterior quæ ad caudam exit, carne ſolida intus cruſtaceis obducta uertebris conſtat, ſed caudæ extremitati pinnæ quinque quibus natant, adnexæ ſunt. Hanc quidem Græci carabon, & Itali locuſtam modo etiã cognominãt. Differt mas locuſta à fœmina, quòd fœminæ primus pes duplex, mari ſimplex. pinnæ etiam parti ſupinæ adnexæ fœminæ maiores, & quæ collo proximæ ſunt, minores habẽtur. Mari omnes æque minores, nec uſquam per diminutionẽ diſsimiles. Ad hæc mari in nouiſsimis cruribus uelut calcaria maiuſcula prominent acuta, quæ fœmina parua habet leuiora. Paſcũtur locuſtæ uenatu piſciculorum circa ſua cubilia, quæ in alto locis aſperis, ſaxoſis cauernoſisq; faciunt. quicquid ceperint, ori admouent ſuo forcipe, & piſces etiã maiores uincere poſſunt. euenit uſu ut locuſtis polypi ſuperiores ſint, & adeò ut ſi eiſdem in retibus ſenſerit locuſta polypũ, præ metu emoriatur. Congros locuſtæ uincunt, nam elabi non queunt propter aſperitatem, ut author eſt Ariſtoteles: atq; etiã murenas ex Oppiano. Coeunt more quadrupedũ retro mingentium, ſcilicet ut fœmina caudam ſupinã exponat, mas ſuam ſuperponat & applicet. Coire ſolent ineunte uere iuxta terrã. oua gerunt tribus menſibus his, Maio, Iunio, Iulio. tum deinde ſub aluo in rugas deponunt. quæ oua more uermium augentur. quod idem de mollibus etiam ac de piſcibus ouiperis intelligitur. Ouum enim omnium ita accreſcit. fit igitur locuſtarum ouum arenidum in partes octo diductum. ſingulis enim operimentis quæ de*

latere

latere extāt,ſingula quædam chartilagines iunguntur, quibus oua adhærent,totumq; quaſi ſpecies uuæ conſiſtit.unūquodq; enim illorum chartilagineorū in plura ſcinditur,quæ ſi diſcreueris,patent:ſin aſpicis tantū,compoſitum quiddam apparet.ſunt maxima nō quæ iuxta meatum,ſed quæ media ſita ſunt:minima, quæ nouiſſima continentur. Magnitudo minimis quanta granis ficuū eſt:nec meatū ipſum ulla contingunt,ſed per mediū hærent.utraq; enim ex parte,caudam dico & aluum,bino maximè diſtinguitur interuallo. ſic enim operimenta quoq; diſpoſita ſunt.ſed quoniā latera complecti ſatis ipſa non poſſint,adduto extremo cuncta tegūtur:idq; uelut operculum obturat.uidetur prorſus locuſta chartilaginoſis illis particulis mandare oua:cum enititur,caudam adducens,& protinus cōprimens inflectensq; ſeſe parere.Chartilagineæ uerò illæ appendices per id tempus augentur, atq; ouorum capaces redduntur.partus enim in ijs recipitur,ut ſepiarū in ſarmētis & qualibet colluuione collocatur.Locuſtæ ad hunc pariunt modum:mox ubi ea ſui corporis parte intra diem uiceſimū maximè oua concoxerint,abigunt uniuerſa,conglomerataq; ita in idem, ut & foris cōgeſta appareant.Tum ex eo locuſtæ proueniunt intra diem maximè decimumquintum, & ſæpe minores quàm ut digiti magnitudinem expleāt capiuntur.excludunt igitur oua ante arcturum:abigunt iam cōcocta atq; abſoluunt ab arcturo.Locuſtarum marinarum genera plura ſunt,ut ex Ariſtotele ſecūdo & quarto de partibus animalum intelligi poteſt.ita enim libro quarto inquit:Cruſtata omnia ingredi poſſunt:itaq; pedes complures obtinuerunt. Summa eorum genera quatuor numero ſunt:locuſtæ,aſtaci,ſquillæ,cancri:quæ ſingula in plures ſpecies diuiduntur,quæ non modo forma,uerum magnitudine etiam multo inter ſe differant.alia enim magna,alia parua admodū ſunt.Et locuſta eſt inſecti generis,uolucre animal, caballeta uulgo dicta,quæ pedes ultimos duos habet longiſſimos ad ſimilitudinem bromi auenæ generis,qui ex Dioſcoride folio & ſtipula triticum imitatur,herba geniculata:in cacuminibus dependentes habet paruulas ueluti bipedes locuſtas,quibus includitur ſemen: quod & Plinius uiceſimoſecundo uolumine tradidit.Bromos,inquit,ſemen eſt ſpicam ferentis herbæ. naſcitur inter uitia ſegetis auenæ græcæ (ut Marcellus in Hermolaum redargutus appareat) genere:& folio & ſtipula triticum imitatur.in cacuminibus dependentes paruulas uelut locuſtas habet.quam lectionem Hermolaus reſtituit,cum antea deprauate lobas pro locuſtas legeretur,quanquam in Corollario capite de bromo lobas etiam legi poſſe indicauit, etiam ſi lolis pro lobis legatur impreſſorum uitio,quod tamen nullo modo ſtare poteſt.nam ſi herba ferens bromos,ſpicam gerit,ut inquit Plinius:bromos ſpicoſi generis erit inter frumentacea, quæ à leguminibus & miliaceis genere diſcrepant. quam quidem ſpicam neq; Græci neque Latini lobam uocāt.Lobos enim græcè ſiliquam ſignificat,quæ leguminum eſt.Vnde in Plinio etiā cum libro decimooctauo inquit: Milium intra hos decem annos ex India in Italiam inuectum eſt nigrum colore, amplum grano,arundineū culmo,adoleſcit ad pedes altitudine ſeptem prægrandibus culmis,lobas uocāt:omnium frugum fertiliſſimum. lobas pro phobas mendoſe legitur,ubi nec prægrandibus culmis,ſed prægrādibus comis,ex uetuſtis codicibus eſt legendū.non enim culmos,hoc eſt ſtipulas arundineas,ſed comas illas ſeu paniculas phobas uocant.quos duos errores nullus me prior animaduertit. nam comam eam miliaceam, quam uulgo quoque paniculam dicunt, non lobon ſed phobam Græci uocant. Lobon enim (uti retulimus) ſiliquam appellant, quæ leguminum eſt, non miliaceorum, ut author eſt

Theophraſtus octauo de hiſtoria plantarum libro. ait enim capite tertio: Ad hæc quæ fructuum ratio exigit addimus, quod alia ſpicam gerunt, ut frumentacea, alia lobon, hoc eſt ſiliquam, ut legumina, alia phobam, ut miliacea. Effuſam enim illam arundinaceam comam phobam, id eſt ut Theodorus uertit, iubam, appello. Quid quærimus Theophraſtum, quãdo Plinium ipſum habemus, ſiliquam eſſe leguminum non miliaceorum paulo ſupra his uerbis dicentem: omniũ ſatorum fructus, aut ſpicis continetur, ut tritici, hordei, munituruq; uallo ariſtarum quadruplici: aut includitur ſiliquis, ut leguminũ: aut uaſculis, ut ſiſamæ, ac papaueris. Milium ac panicũ tantum pro indiuiſo & paruis auibus expoſita ſunt, indefenſa quippe membranis continentur. Ex quibus uerbis apparet lobon, id eſt ſiliquam leguminum eſſe non miliaceorum. facilis corruptio, quoniam remanſit deſinentia ſyllabæ in bas, & ſcriptum fortaſsis erat ſobas ſine aſpiratione, ut quis lobas pro ſobas ſcripſerit. nec lobas quidem, ſed lobos Plinius dixiſſet. ſed & aurium fibras Græci lobos uocant. Reliquum eſt ut quid bromos, quidue milium indicum ſit, indicemus. Eſt autem bromos, ut ſcribit Dioſcorides, auenæ ſpecies. Auenæ enim duæ habentur ſpecies, altera folio & ſtipula triticum imitante, in cacuminibus ſemina habet ampla alba & ualde piloſa, ex quibus binæ ariſtæ nigrantes prodeunt: quæ cum natura intortæ ſint, tactæ ex aqua ſeſe reuoluunt. unde præſtigiatores utriq; illius ariſtæ extremitati chartam, uel aliquid huiuſcemodi aliud cum cera cohærere faciũt, quibus tactis humore chartæ illæ ſemet ipſæ reuoluunt, ceu miraculum ſpectantibus exhibentes. hæc ſpecies & in hordeis naſcitur, præſertim quæ ex Cypro ueniunt. Et hæc uidetur eſſe quam Theophraſtus Aegilopem appellauit. Altera eſt quæ ab alijs Aegilops, & Theophraſto bromos uidetur appellata, folio ſtipula & ſemine bromo ſuperius deſcripto ſimilis, minore tantũ nec ita piloſo ſemine, ſed rubeſcente: quæ & in hordeis noſtratibus quoq; naſcitur. ambas ſpecies in hunc uſq; diem auenam uocamus. Latent menſibus quinis, ſimiliter cancri, qui eodem tempore occultantur, & ambo ueris principio ſenectutem anguium more exuunt renouatione tergorũ) Ita ego quoq; in uetuſtis exemplaribus legi, renouatione tergorũ: nam cum exuunt ſenectutem, hoc eſt cruſtam qua teguntur, cõtinuò cruſta ijs alia renouatur. Ita namq; Ariſtoteles octauo de hiſtoria loquitur: latẽt locuſtæ menſes circiter quinq;. cancri etiã exuunt ſenectutem: molliores quidem perſpicuè: ſed etiam duriores exuere aiunt, ut maias. Cum uerò exuunt, mollis admodum cruſta ſubnaſcitur: & quidem cancri præ teneritate non ſatis abundare poſſunt. quod quinto etiã eiuſdem hiſtoriæ uolumine prædixerat, his uerbis: Cruſta ſua & locuſtæ & cancri tam nuper quàm poſt exuuntur per uer, quemadmodum angues membrana uernationis, quã ſenectutem appellant. Cætera in aquis natant, locuſtæ reptantium modo fluitant) id eſt, cruſtata omnia in profundo natant exceptis locuſtis quæ anguium modo ſupernatant. Si nullus ingruat metus, recto meatu cornibus, quæ ſunt rotunditate præpilata, ad latera porrectis, ijſdem erectis in pauore obliquè in latera procedũt. cornibus inter ſe dimicãt) Ariſtoteles octauo de hiſtoria: incedit locuſta ſua natura ante, cum nihil metuit, demiſsis in latera cornibus: at ubi metuit, fugit retro, lõgeq; ſua cornua porrigit. Dimicant inter ſe more arietum, cornibusq; extollentes uibranteſq; feriunt aduerſarium, ſed uniuerſæ etiam plerunq; tanquam gregis collegium uiſuntur. Cum igitur uerba Plinij mutata eſſe cernantur ab Ariſtotele, atq; id quod carabus in illo legitur, locuſta cõuerti Plinio latine uideatur, erunt locuſta & carabus eadem non diuerſa, etiam ſi Barbarus in caſtigationibus

nibus Plinianis libro triceſimoſecundo, carabum & locuſtam pro diuerſis haberi hoc loco à Plinio exiſtimauerit. nam quando Plinius inferius, cancrorū genera inquit, carabi, aſtaci, mææ &c. non propterea fecit, ut carabos diuerſos eſſe à locuſtis ſuperius nominatis oſtenderet, ſed ut cancrorum genera quæ nobiliora forent, indicaret.

EX CAPITE XXXI.

Viuunt petroſis locis, cancri mollibus.) Verba uiuunt petroſis locis, referenda ſunt ad præcedentia, ſcilicet ad locuſtas. Ariſtoteles enim quinto de hiſtoria inquit, Locuſtæ aſperis petroſisq; locis proueniunt, gammari læuioribus ac terrenis: neutrum genus limoſa amat. unde fit ut gammari apud Helleſpontū & circa Thaſum gignantur, locuſtæ circa Sigæum & Athon. Coniectantur loca aſpera limoſáue piſcatores oris litoralibus, atque alijs id genus indicijs, quoties capturam in alto libet exercere. Litora potius uernis hybernisq; temporibus expetunt, conferunt ſe in altū æſtate, uidelicet cum aliàs calorem, aliàs frigus perſequuntur. ijs etiam quas nomine urſæ arctos appellant, idem pariendi tempus natura ſtatuit, quod locuſtis. quocirca per hyemem, & uere priuſquam oua excludant, cibo laudantur. cum excluſerint, deterrimæ fiunt. quod autem Plinius dixit cancros locis mollibus uitam degere, haud ſatis uerum uidetur. Sunt enim Paguri cancri, & tamen non niſi locis ſaxoſis capiuntur, & ſimiliter cancri illi alij parum minores cibo non idonei, præcipue mares, præterquam cum exuerint ſenectutem, quos tam petroſis quàm terrenis locis uitam agere perſpicuū eſt: quod ex Ariſtotele elici etiam poteſt, tam octauo de hiſtoria, ubi cancros ſaxatiles ſtercus deuorare inquit, quàm etiam quarto de partibus animalium, cum cancris caudam inutilem eſſe tradat, quoniam uitam agere terrenam, cauernasq; ſubire ſoleant. nec defendi ſatis poteſt Plinius, niſi quis in Plinio non cancri, ſed aſtaci legendum exiſtimauerit, ut dictum eſt ex Ariſtotele, unde hæc mutuatur, ſcilicet, locuſtæ aſperis ſaxoſisq; locis proueniūt, aſtaci læuioribus. quod & ſequentia indicant: uidelicet, hyeme aprica litora ſectantur, æſtate in opaca gurgitum recedunt: etiam ſi Oppianus aſtacos locis petroſis degere prodiderit. Nos autem ſequimur (uti Plinius) Ariſtotelem authorem grauiſſimū, & cæteris fide digniorem. Omnia eius generis hyeme læduntur, autumno & uere pingueſcunt, & plenilunio magis; quia noctes ſidus tepido fulgore mitificat.) Quæ Ariſtoteles animalibus teſta intectis contribuit, Plinius cruſtatis etiam accommodaſſe uidetur. Verba enim eius quarto de partibus animalium hæc ſunt: quamobrem fieri ſolet per id tempus anni quo uigent, ſcilicet uere & autumno. laborant enim teſtata omnia per frigus & æſtum, atque exuperantiam temporis pati nequeunt. argumento eſt quod echinis euenit: habent enim id iam inde ab ortu naturæ, & pleniluniis uberius: non quia per id tempus copioſius paſcuntur, ut quidam putant: ſed quòd noctes tepidiores ſint propter lucem pleniorem. Calorem enim deſiderant, quoniam frigori patent, utpote quæ ſanguine careant: ex quo fit ut æſtate potius ubique uigeant, præterquam in pyrrenſi euripo: nam ibi non minus tempore hyberno probantur: cuius rei cauſſa eſt, quòd tunc uberius pabulentur, cum piſces per id tempus ea loca relinquant. quod ſuperius etiam libro quinto de hiſtoria retulerat: genus denique omne, inquit, quod teſta operitur, uerno autumnaliq; tempore habere cernuntur ea, quæ oua appellant, exceptis echinis cibo idoneis: quippe quibus etſi per ea tempora præcipue ubertas ouorum eſt, tamen nullo tempore committitur, ut ouis omnino careant: ſed maxime plenilunijs diebusq; tepidis reſtituūtur, redduntúrq;

*pleniores, præterquam ij quos pyrræus fert euripus.non illi hybernis menſibus meliores ſunt,parui quidem,ſed pleni ouorum.idemq́; Lucilius(ut author eſt Gellius)teſtatum reliquiſſe uidetur his uerbis:*Luna alit oſtrea,implet *& echinos,muribus fibras &c.à quo etiã* Plinius *mutuatus cernitur libro ſecundo,cum dicit:* Iam *quidem lunari poteſtate oſtrearum conchyliorum q́; & concharum omnia corpora augeri,& rurſus minui,quin & ſoricum fibras reſpondere numero lunæ exquiſiuere diligentiores. Cancrorum genera,carabi.) Plinius cum ea quæ à Græcis malacoſtraca appellarentur,communi nomine uacare dictum eſſe ab* Ariſtotele *primo de hiſtoria percepiſſet,omnes qui cruſta integuntur, tam qui caudam gerunt,quàm quibus cauda deeſt,ſub cancri nomine,uti primus eius impoſitor nominis,cenſuit appellandos, ceu cancrorum genus & ſpeciem faciendo. Ariſtoteles autem quarto de hiſtoria,eos tantum quibus corpus rotundum eſt,cancros uidetur appellaſſe,his uerbis: Cancris ex cruſtaceis ſolis cauda deeſt, & corpus rotundum eſt, cum locuſtis ſquilliſq; longum ſit.propterea* Theodorus *malacoſtraca non cancros ſed cruſtata melius interpretatus eſt. Sunt autem carabi,qui locuſtæ à latinis interpretantur: de quibus ſupra latius diſſeruimus cum de locuſtis ageremus. Aſtaci.) Ariſtoteles quarto de hiſtoria: Cruſta autem intectorũ, inquit,genus primum carabos: cui proximum genus alterum eſt, quem aſtacon,hoc eſt(ut* Theodorus *uertit)gammarum uocant.*Nam *& Plinius libro uiceſimoſeptimo ubi de aconito loquitur,gammarum marinum hunc appellaſſe uiſus eſt. Differt is à carabo,hoc eſt locuſta brachijs, quæ denticulatis forcipibus protendit:atque etiam quibuſdam alijs diſcriminibus,quanquam non multis:quem quidem in hodiernũ quoque diem aſtacon uocant. pedes inferiores ad grandes uſque diſpoſiti octo,tum grandes ipſi longe maiores,extremaq́; parte latiores quàm locuſtæ habentur,ſed non ſpecie eadem.dexter enim ſuum extremum latum & oblongum & tenue habet:ſiniſter craſſum & rotundum,uterq; tamen ſciſſus in extremo,perinde ut maxilla tam infra quàm ſupra dentatus eſt:uerum dexter puſillos ſerratosq́; dentes continet omnes: læuus primos ſerratos, intimos uelut maxillares,ſcilicet parte inferiore quatuor & continuos,ſuperiore tres non continuos.Vterque tamen partem mouet ſuperiorem,ad inferioremq́; aſtringit.bleſus item uterq́; ſitu inferiore,tanquam nati ad capiendum premendúmque.duo ſupra os grandes habentur,alij hirtiuſculi paulo ab ore inferiores.mox branchiæ os circundant non ſine hirſutie frequentes, quas aſſidue mouet.flectit,atque in os adducit duos illos hirtiuſculos pedes.ſurculi etiam graciles geruntur à pedibus qui ori proximi habentur.Dentes huic quoque duo ut locuſtæ,ſupra quos cornua breuiora tenuioráque quàm locuſtæ..Quatuor item alia adſunt cornua,ſpecie quidem duobus illis ſimilia,ſed tenuiora & breuiora.ſuper hæc oculi conſtituti ſunt parui craſſiuſculi, non ut locuſtæ maiuſculi.frons quaſi quædam acuta & aſpera ſupra oculos extat,latior quàm locuſtæ.denique facies acutior,& pectus latius quàm locuſtæ,totúmque corpus mollius & carnoſius.pedum autem octo numero pars ſciſſa in extremo bifurcatur,pars deſinit indiuiſa. quatuor enim bifurces ſunt,reliqui quatuor ſimplices ex toto pertendunt.quod autem collum appellant,quinque partium foris eſt, & ſextum latius.illud ſitum loco nouiſſimo habetur, tabellis continuatum quinque. interiora uero in quibus fœminæ prius pariunt quàm fœtum edant,hirtiuſcula quædam quatuor continentur,quibus ſingulis ſpinæ ſingulæ breues arrectæq́; eminent ad exteriora.pectus corpuſq́; totum læue eſt,non more locuſtarum aculeatum & aſperum.*

& aſperum. Verùm in pedibus magnis aculeos partis exterioris maiores eſſe manifeſtum eſt. Fœminam hoc in genere nullum diſcrimen à mare diſtinguit. Nam & mari & fœminæ forceps alteruter grandior more incerto eſt, parem uero utrunque neuter unquam habere uiſus eſt. Exuit ſenectutem & ipſe aut uere aut autumno poſt partum. Maiæ.) Scribendum mææ nomine græco potius quàm latino, ut codices antiqui habent: quas Theodorus latino nomine maias interpretatus eſt. uel legendum carides, mææ, ne Plinius diminutior quàm Ariſtoteles eſſe uideatur, maxime cum ab eo hæc omnia mutuatus ſit. nam Ariſtoteles quarto de hiſtoria, ut ſeriatim nomina tantum referam, inquit: Carabus, aſtacus, caris, mææ, paguri, heracleotici. Sunt autem carides quas latini ſquillas interpretantur, locuſtis fere ſimiles: à quibus differunt, quòd forcipe careant. Squillarum genere continentur gibbæ, craugines, & paruæ quæ maiores nunquam effici poſſunt. Caridas Sophron, Epicharmus curidas, ſed & coridas idem Epicharmus & Simonides appellauere, de quibus & Plinius hoc libro & undecimo, Galenus, Athenæus, Paulus, & Oppianus meminere. Squillarum autẽ generi, quas gibbas uocamus, quini utrinque pedes ſitu quo cæteris, quorum proximi capiti acutiores, alij uentri ſubiuncti, quorum extrema latiuſcula ſunt. tabellæ ijs nullæ parte ſupina, prona ſimilis locuſtarum eſt. Cauda ijs eſt, cui pinnæ quaternæ aſſunt. Craugnis quoque lateri caudæ utrique pinnæ adnexæ ſunt, quarum pinnarum media utroque in genere ſpinulis horret, uerum in craugine latiora, in gibbis acutiora. Dicũtur autem carides, inquit Athenæus, quoniã caput maius reliqua parte corporis habeant. Quæ autem mææ uocantur, è genere cancrario maximæ ſunt: quibus cauda deeſt, & corpus rotundũ eſt, dorſo ſpinoſo, cruribus oblongis: quas uulgus cancreolas cognominat. Paguri.) & ipſi è genere cãcrario ſunt, dorſo leui tabellatioreq́; pedibus breuioribus ijs quas mæas uocauimus, uerum forcipibus proportione maioribus, quicquid perceperint, uehementer conſtringentibus. in Britannia quàm maximi reperiuntur, circa ſaxoſa loca uerſantur. cum decoquuntur, partim ruffeſcunt, & partim nigreſcunt, inter lautiſſimos recepti cibos, quos carnis & digeſtionis durioris Galenus de uirtute alimentorum tradit. Dalmatæ aliquibus in locis in hodiernum diem paguros, & Veneti cancros porros cognominant. Heracleotici) Ariſtoteles quarto de hiſtoria, Cancrorum genus, inquit, multiplex eſt, nec facile enumerandum: maximum, quas mæas appellant: ſecundum paguri, & quos heracleoticos uocant. Videntur itaque heracleotici paguris eſſe haud quidem diſſimiles. Leones, & alia ignobiliora.) De leonibus marinis Hippocrates, Ariſtoteles uero nullibi pertractat. de urſis autem marinis è genere cruſtatorum meminit Hippocrates ſecundo de uictus ratione, & Ariſtoteles de hiſtoria, libro quinto. Oppianus uero de leone bellua quadam marina teſtari uidetur, uerum Plinius de leone inter cruſtata libro etiam triceſimoſecundo meminit, hoc modo: Leones quorum brachia cancris ſimilia ſunt, reliqua pars locuſtæ. Carabi à cæteris cancris cauda diſtant.) Ariſtoteles quarto de partibus animalium, ubi de locuſtis & cancris loquitur, Sed intereſt, inquit, quòd carabi, hoc eſt locuſtæ, caudam habent, cancri non habent. locuſtis enim ut nantibus cauda utilis eſt. natant enim cauda quaſi remo innitendo. At cancris inutilis eſt, quum uitam agere terrenam, cauernáſque ſubire ſoleant. In Phœnice hippeæ uocantur, tantæ uelocitatis ut conſequi non ſit.) Ariſtoteles quarto de hiſtoria: Genus, inquit, cancrorum litorale Phœnice fert, tantæ uelocitatis, ut uix conſequi ſit: unde hippeas, hoc eſt equites illos appel-

larunt: iiſ nihil ferè intus propter inopiam pabuli. Cancris uita longa.) Ariſtoteles quarto de hiſtoria, locuſtis tantum, non cancris uitam diuturniorem datam teſtatur. *Pedes octoni omnibus, in obliquum flexi.)* Ariſtoteles libro eiuſdem hiſtoriæ quarto: cancris etiam pedes omnes deni cum forcipibus ſunt. Rectè itaque inquit Plinius cancris pedes octonos eſſe: octo enim ſunt forcipibus non annumeratis. nam paulò pòſt ipſe Ariſtoteles, Cancris, inquit, pedes utrinque quaterni, tum terni alij eodem modo explentes reliqua. bona pars corporis pedibus caret. pedes omnibus in obliquum flectuntur, quomodo etiam inſecta mouentur. quæ uerba in codicibus latinis impreſſis non inuenies, cum tamen in græcis reperiantur. *Fœminæ primus pes duplex, mari ſimplex.)* Ariſtoteles quarto de partibus animalium: Genus, inquit, cancrarium & locuſtarium ſimilia inter ſe ſunt, eo quòd utrunque brachia forcipibus denticulatis habeat, ſed hæc non ingrediendi cauſſa habentur, ſed ut iis quaſi manibus capiant, & retineant. Quamobrem contra quàm pedes ea flectere ſolent. hos enim in cauum, illa in orbem flectunt & circumagunt: ſic ad cibum capiendum admouendúmque commodius agitur. *Superior pars in primoribus his mouetur, inferiore immobili.)* Ariſtoteles eodē libro, Cancri, inquit, ſuperiorem ſui forcipis partem mouent, non inferiorem: habēti enim pro manu, forcipem eſſe oportet. mordendi autem ſecandiq; officium dentis eſt. cancris igitur cæteriſq; quibus licet ociosius cibum capere, quum in humore non ſint, oris uſus partitus eſt, ut manibus aut pedibus capiant, ore ſecent & mordeant, ſicuti crocodilo fluuiatili euenit: qui unus maxillam mouet ſuperiorem, quoniam pedes ad capiendum retinendumq; inutiles habet: parui enim admodum ſunt. itaque ad hunc uſum natura os ei pro pedibus utile condidit. Ad retinendum uero unde ictus inferri uehementius poteſt, inde motus commodius agitur. infertur autem uehementius deſuper, quàm de parte inferiore. ergo cum utriuſq; tum capiendi tum mordendi uſus ore adminiſtretur, magis autem neceſſarium retinēdi officium ſit, cui nec manus ſint neq; pedes idonei, commodius iis eſt mouere ſuperiorem maxillam quàm inferiorem. *Dextrum brachium omnibus maius.)* Ariſtoteles quarto de hiſtoria, Cancris, inquit, forcipes, pedeſq; haberi, & ii quales eſſent, dictum iam eſt: omnibus uero magna ex parte grandior ac ualidior forceps dexter, quàm læuus eſt. cuius rei cauſſam quarto de partibus animalium reddit, his uerbis. Locuſtæ cancriq; omnes forcipem dextrum grandiorem ualentioremq; habent: parte enim dextra efficaciora ſuapte natura ſunt animalia omnia. reddit autem ſemper natura cuiq; uel ſoli, uel præcipuè quo uti poteſt, ut dentes, eoſq; aut exertos aut ſerratos aut continuos, & cornua & calcaria & reliquas huiuſmodi partes, quarum uſus ad defendendum aut dimicandum. Aſtaci ſoli non certum ſed alterutrum æque (ut fors tulerit) forcipem habent grandiorem tam mares quàm fœminæ. cauſſa autem cur forcipem habeant, quòd ex eo genere ſint, quod forcipem habet: cur alterum grandiorem, incerta, quòd non integram ſui generis naturam tenet, ſed ita degenerat, ut quod ad aliud deſtinatum eſt, eo non eodem ſed ad greſſum utatur. *Pinnother autem uocatur minimus ex omni genere, ideo opportunus iniuriæ. huic ſolertia eſt, inanium oſtrearum teſtis ſe condere, & cum accreuerit migrare in capaciores.)* Notandum eſt duo eſſe cancrorum minimorum genera. quibuſdam uiuentibus naſcitur, & reperitur, ut in pinnis concharum generis maximis eſt uidere, ab Ariſtotele pinnother ſiue carcinion appellatum. alterum oblongum quod & carcinion, hoc eſt cancellus, aut ſquilla parua ab eodem Ariſtotele nuncupatur, quod non conchis uiuentibus, ut

pinnother,

pinnother,ſed terra limóque principio naſcitur,ac dein conchulas ingreditur uacuas. De primo autem genere,hoc eſt pinnothere, Ariſtoteles quinto de hiſtoria ſic tradidit: Cancri colore albido,corpore admodum parui in nonnullis teſta operti generis naſcuntur, & plurimi quidem in mitulis ſoliatis,mox in pinnis,quos pinnotheras uocant, quin etiam in pectunculis atque oſtreis,uerum ij nullum conſpicuum capiunt incrementum. De altero uerò genere ita paulò pòſt loquitur: Cancellus ille concharum hoſpes principio ex terra limóque conſiſtit, mox conchulas ingreditur uacuas: ubi cum excreuerit, tranſit in concham ampliorem,uidelicet aut naticis,aut turbinis,aut alicuius ſimilis. ſæpe etiã paruam buccinam ſubit, ingreſſusq́; ampliorem illam gerit,pari modo & uiuit in domicilio capaciore,rurſusq́; excreſcens aliam petit ampliorem. & hunc intellexiſſe Plinius uidetur. hic ſimilis teſta contectis animalibus eſt,quapropter ijs in ancipiti eſſe,genusq́; ſibi uendicare utrunq; uidetur. forma ſimilis araneis eſt,niſi quòd partem corpori & pectori ſubditam ampliorem quàm aranei habeat. cornicula duo ruffa,tenuia, quibus oculi totidem ſubiacent, qui nunquam intro recedant ut cancrorum,ſed ſemper eminentes appareant. os ſub ijs eſt quod uelut capillamentis quibuſdam plurimis circundatur. his pedes ſubiuncti duo bifurces,quibus cibum ori admoueat. bini item utrique adhærent lateri, & tertius paruus. thoracis pars inferior mollis tota eſt, diſiectóque ſinu pallidum intus cernitur. meatus ab ore ad uentrem pergit. foramen excrementi perſpici nullum poteſt. pedes ac thorax duritiem præ ſe ferunt,ſed minus quàm cancri. nexu nullo teſtis adhæret,purpurarum modo & buccinarum, ſed abſolutus liberq́; uagatur. oblongior eſt qui turbinem ſubit,quàm qui neritem. genus enim diuerſum eſt. quod in nerite degit,cætera quidem non abſimile,ſed dextrum bifurculatum pedem paruum habens, cum læuum grandiuſculum habeat. cuius rei cauſſa eſt,quoniam turbines omnes ſi erectos componas,ut pars tenuior & acutior cælum ſuſpiciat, & pars amplior terram deſpiciat, hiaturã obtinent à ſiniſtris: quamobrem cum læuus pes ſine impedimẽto liber ſit, & exerceri poßit, ſuſcipere facilius incrementum poteſt: dexter uero cum reſtrictus & impeditus ſit, neq; ita commode ut læuus exerceri poßit, augeri minime ualet: quam quidem rationem Ariſtoteles cum quarto de hiſtoria cancellum ita deſcriberet,non aßignauit. Dalmatia, Iſtria & paludes noſtræ Venetæ plurimum abundãt hoc genere. Sed de cruſtatis in particulari iam dictum ſit; de quibus in uniuerſum etiam aliquid referre congruum eſt. Cruſtatum itaque genus ex eo quòd ſanguine caret,partibus pluribus uacat. Iam enim uiſcera,quæ cuique ſanguineo inſunt generi,omnia,nullum cruſta intectum quod habeat nouimus: ſed communes generi utrique partes,gula,uenter,inteſtinum. Et cum mare omnia eius generis ore excipiant; cancri parte oris exigua adducta reſpuunt,locuſtæ ſuas ad brãchias tranſmittunt,quas ipſæ plures quàm cætera habent. communis enim omnibus branchiarum adnexus eſt. dentes omnibus bini, & carnoſum illud quod linguæ proportionetur,eadem cauſſa qua ſanguineis,uidelicet ad cibum ſentiendum. nam locuſtis dentes duo primores, & in ore caruncula illa conſtituta pro lingua eſt. tum uenter os protinus excipit,præterquam locuſtis: ijs enim gula ante uentrem exigua, mox à uentre inteſtinum,quod locuſtis, & ſquillis, & gammaris rectè in caudam finit, qua excrementa emittunt, & oua pariunt. cancris quà applicatum illud operculum geritur, medio applicaminis ipſius. uerum ijs quoque parte exteriore,qua oua pariunt,deſinit. Fœminis item huius generis locus ouis deputatus iuxta inteſtinum omnibus eſt : & quam muten ſiue

papauer appellarunt, amplius parciúsue habēt hæc omnia genera. Diſcrimina propria contemplari in ſingulis congruum eſt. Locuſtis igitur (ut modo dixi) dentes bini maiuſculi, & uenter, quo humor ſimilis muti continetur. caruncula illa etiam inter dentes linguæ repræſentans effigiem, & gula ab ore breuis, quam uenter mēbraneus excipit: cuius oſtio tres denticuli inhærent, duo aduerſi, reliquus infra. inteſtinum uero à uentris latere ſimplex, pari craſſamento, ad excrementi uſq; oſtium fertur. Hæc locuſtæ, & gammari, & cancri ſortiuntur. ſed locuſtis meatus quoque à pectore pendens ad excrementi exitum pertinet, qui fœminis pro uulua eſt, maribus genitalis ſeminis receptaculum ſufficit. meatus hic iuxta cauum carnis continetur, ita ut media caro interiaceat. inteſtinum enim deuexum pertingit, meatus uero cauo applicatur, nec ſecus quàm in quadrupedum genere hæc habentur. nulla maris meatum ac fœminæ differentia diſtinguit: quippe cum uterq; tenuis ſit & albidus, & humorem intra ſe continens pallentem. uterque etiam ex pectore pendet. Squillas etiam ouum clauiculasq; ſimilem in modum habere certum eſt. maribus ſanè præ fœminis propria in pectoris carne bina quædam candicantia conſtant, diſcreta à cæteris partibus, colore formaq; promuſcidi ſepiarum proxima: uerùm hæc torta in uertignem more buccinarum papaueris, quorum origo ab acetabulis, quæ ſubdita pedibus nouiſſimus ordinantur. Caro in ijs quoq; eſt colore ſanguinis rubra, & tactu lento, nec ſimili carni. ab hoc pectori anfractus alter ſtrue buccinea, craſſitudine lineæ ſeſe porrigit: ſub quo duo quædam arenæ conditioni ſimilia, ſemini genitali accommodata, inteſtino adnectuntur. hæc in mare. fœmina autem ouum rubidum parit, membranaq; obuolutum prætenui, uentri lateriq; utriq; inteſtini adnexum, atq; ad carnem uſque adhærens. partes has habent interiores, atq; exteriores. cancri autem forcipes pedesq; habent, & ij quales eſſent, dictum iam eſt. quinetiã de oculis diximus, uiſum parti plurimæ eſſe in obliquum. Alueus uero totius corporis indiſcretus eſt. nec enim caput diſtinctum, nec aliud quicquam. oculi non eodem ſitu omnibus poſiti, ſed alijs è latere ſupra continuo ſub prono amplo diſtantes diſcrimine, alijs in medio breui diſcrimine, ut heracleoticis, ut maijs. os oculis ſubditum, in quo dentes duo, ut locuſtis, uerum non rotundi, ſed longi. tegmina dentes operiunt duo. inter talia interiacent quædam qualia locuſtarum dentibus adnecti expoſui. humorem igitur ore accipit, tegminibus illis depellendo: emittitq; meatu oris ſuperiore, adductis meatibus quà interfluxit. Duplex ille meatus ſub oculis eſt. quoties ergo aquam acceperit, utroq; tegumento os obturat, atq; ita reſpuit humorem. Gula poſt dentes breuis admodum eſt, ita ut protinus uenter os excipere uideatur. uenter biſulcus gulæ ſubiũgitur, cuius ex medio inteſtinum ſimplex & tenue procedit, quod ſub applicato exteriore operculo deſinit, ut dictum eſt. quod autem inter tegmēta interiacet, huius ſicuti locuſtarum dentibus adnectitur humor intus in alueo pallidus, & minuta quædam oblonga albida continentur, ruffa etiam alia maculis diſperſis. Differt à fœmina mas magnitudine, craſſitudine, & operculo. id enim amplius in fœmina eſt & diſtantius, & hirſutius, & opacius, quale etiam fœminæ locuſtarum ſortiuntur. Coire etiam plane cernuntur, quoniam eorum coitus diuturnior eſt. alterum etiam eorum marem eſſe, alterum uuluam habere bifidam certum eſt. coeunt modo eorum quæ in auerſum mingunt, cum alterum ſupinum, alterum pronum applicauerint caudas. etenim ne parte ſupina ſuperueniant pronam, impediunt caudæ præ ſuarum pinnarum prolixa appendice. habent in hoc genere mares tenues genitales meatus, fœminæ uuluas membra-

neas

neas ad inteſtinum fiſſas hinc atque inde,in quibus gignitur ouum:quod cum frigidiore conſtent natura,generant imperfectum,uerum quod foris perficiatur, & recipit incrementum. Cruſtata,inquit Paulus,ut gammari,paguri,cancri,locuſtæ,ſquillæ,menſis quidem conueniũt, ſed coctu difficilia ſunt: ac ſi ſæpe in aqua dulci elixentur, aluum ſupprimunt. Cruſtatorum natura ita ſe habet. Ex eodem genere ſunt echini.) De teſtatis hic capitis initium eſſe debuiſſet.nam de ijs nunc quæ teſta operiuntur, incipit pertractare cum dicit: Ex eodem genere ſunt echini:id eſt,echini marini ſunt ex eodem genere,ſcilicet quod ſanguine caret. nam ſuprà Plinius capite uiceſimooctauo tria prodidit piſcium eſſe genera quæ ſanguine uacant,his uerbis:Piſcium quidam ſanguine carent,de quibus dicemus.Sunt autem tria genera, in primis quæ mollia appellantur,deinde contecta cruſtis tenuibus, poſtremo teſtis concluſa duris.& ſimiliter cum de cruſtatis poſtea tractare capite xxx.cœpiſſet, dixit: Locuſtæ cruſta fragili muniuntur in eo genere quod caret ſanguine.ſic etiam hoc loco cum de teſta opertis,uti de tertio genere quod ſanguine caret, acturus eſſet, inquit:Ex eodem genere ſunt echini,id eſt,echini ſunt ex eodem genere quod ſanguine caret. Quibus ſpinæ pro pedibus,ingredi eſt his in orbem uolui.) Ariſtoteles quarto de hiſtoria: Spinis ſuis echini utuntur perinde ac pedibus.his enim nitibundi mouentur,ſedémque permutant. & infra: Echini,inquit,inter teſtacea genera, quibus facultas ingrediendi eſt. quod item quarto de partibus animalium meminit. Ex his echinometræ appellãtur,quorum ſpinæ longiſſimæ, calices minimi.) Ariſtoteles eodem quarto de hiſtoria: Genera echinorum plurima. primum quod cibo idoneum eſt.in quo quæ oua appellant, magna eſculentáque conſiſtunt, pariter in maiore corpore & minore. nam nouelli adhuc paruíque pleniuſculi illis conſtant. ſecundum ac tertium ſpatagi & briſſi,quæ genera pelagia ſunt,raráque inuentu. Ad hæc quæ echinometra appellatur,quaſi matrem aut matricem dixeris echinorum, quæ quidem omnes magnitudine excedit.Genus item aliud eſt minutum,ſpinis longis prædurisque, gigni in alto gurgite ſolitum, quo nonnulli ad deſtillationes urinæ medicamento utuntur. Circa Toronen candidi naſcuntur ſpina parua.) Ariſtoteles quarto de natura animalium,circa Toronen,inquit,echini naſcuntur candidi & teſta & ſpina & ouo, augeri forma productiore quàm cæteri ſoliti. ſpina ijs parua,nec rigida,ſed mollior. nigra autem ori illa applicata plura & ad foramen exterius coeuntia habentur, ſed diſiuncta inter ſeſe, quibus quaſi interuentu liminum diſcriminantur.mouentur agilius & frequentius,qui ſunt cibo idonei:cuius rei argumentum,quòd ſemper aliquid algæ ſuis ſpinis implexum gerant. Oua omnium amara,quina numero.) Ariſtoteles eodem quarto de hiſtoria libro:Sunt ergo,inquit, echinis omnibus oua,ſed nonnullis exigua, nec cibo apta.Et paulò pòſt. Ventri autem ſubdita ſunt quæ oua appellant, membrana obducta, diuerſa, eodem in omnibus impari quinario numero.quorum quod nigricat,parti creditum eſt ſuperiori, ex dentium origine pendens,amarum,nec eſculentum. Ora in medio corpore in terram uerſa.) Ariſtoteles eodem in loco:Euenit autem echinis,ut quod caput appellant, & os,uerſum in terram ſit: quod uero ad excrementi exitum deputatum eſt,id ſupra habeatur:quod idem omnibus turbinatis patellisq; euenit.paſtus enim de imis petatur neceſſe eſt,unde fit ut os inuerſum ad paſtum ſit, excrementum uero ſuperius parte prona teſtæ contineatur. Tradunt ſæuitiam maris præſagire eos,correptisq; operiri lapillis:mobilitatémque pondere ſtabilientes, nolunt uoluta-

tione ſpinas atterere. quod ubi uidere nautici, ſtatim pluribus anchoris nauigia infrenant.) Plinius etiam libro decimooctauo inquit, Echini affigentes ſeſe, aut arena ſaburrantes, tempeſtatis ſigna ſunt. Oppianus quoque libro ſecundo tradit echinum præſagire tempeſtates, & lapillis operiri, ne agitatione procellæ ſpinas atterat. eſt autem echinus marinus teſtacei generis, ut dictum eſt, ericius uulgo nominatus, forma orbicularis, ſpinis circumuallatus, quibus pro pedibus utitur in orbem ſeſe uoluendo, nec aliter ingreditur. cui caro negata eſt: idq́; ipſum habet peculiare, ut nullam intus carnẽ contineat. nigra quædam in omnibus uice carnis ſpectamus. dentes quini in omnibus ſunt, caui intrinſecus, inter quos caruncula quædam interiacens linguæ officio fungitur. mox iungitur gula, deinde uenter in partes quinque diſtinctus, perinde ac ſi plures numero uentres hoc animal habeat. ſunt enim omnes diſtincti, pleniq́; uacantis materiæ, ex ſtomacho uno dependent, in unumq́; oſtium excrementi finiunt quà teſta forata eſt. uentri autem ſubdita ſunt quæ oua appellant, eodem numero, atque impari: quina enim. ratio, quòd non ouum eſt quod ouum uocatur, ſed quod bona animalis enutritione alimoniaq́; proueniat. fit oſtreis quidem in altero tantummodo latere id quod oui nomine appellatur, idemq́; eſt quod echinos habere dicimus: ſed cum teſta echini non modo cæterorũ oſtreorũ orbem colligat unũ, ſed in globum circumagatur, ut nõ partim talis, partim non talis formetur, ſed uſquequaq; ſimilis ſit (undiq; enim in ſe nutibus ſuis conglobatur) idcirco ouũ quoq; ſimili modo habeat neceſſe eſt. nõ enim ambitu ut cætera diſsimili conſtat echinus. nanq; ijs omnibus caput in medio ſitum eſt: quam quidẽ corporis partem ſitum tenere ſuperiorem certum eſt. Nec uero ouum habere continuum poteſt, quando neque cætera generis eiuſdem ſic habent, ſed altero latere tantum ſui orbis. ergo cum id commune omnium ſit, proprium autem illius, ut globi ſpeciem gerat, oua numero impari ſint neceſſe eſt. nam ſi pari eſſent, per diametrum diſpoſita haberentur, cum ſimilem hinc atque inde ſeruari rationem interualli conueniat. ſic autem diſpoſitis utroque latere orbis ouum haberetur, quod in cæteris oſtreis non eſt. altero enim latere ſuæ oræ id habent & oſtreæ & pectines. itaque terna aut quina, aut quolibet alio numero impari eſſe neceſſe eſt. ac ſi terna eſſent, diducta inter ſe laxo admodum interuallo haberentur. ſi plura quàm quina, continuum prope ouum redderetur: quorum alterum non melius eſt, alterum fieri non poteſt. quina igitur oua echinos habere neceſſe eſt, quam ob cauſſam uenter quoque quinquepartitus eſt, & dentes totidem habentur. ſingula enim oua cum quaſi corpora quædam animalis ſint, modum quoque uiuendi ſimilem habeant neceſſe eſt. hinc enim capitur incrementum. nam ſi uenter unus tantummodo eſſet, oua aut longe diſtarent, aut totum alueum occuparent, ut echinus & difficile moueretur, & cibi minus impleretur. Cum autem quinque numero interualla ſint, uentrem ſingulis adiunctum quinquepartitum eſſe neceſſe eſt. eadémque de cauſſa dentes etiam totidem habentur: ita enim natura ſimilem rationem prædictis membris reddiderit. Sed quam ob cauſſam oua numero impari, totq́; numero echinus habeat, dictum eſt. cur autẽ alij parua admodum, alij magna, cauſſa eſt quòd natura conſtant alij alijs calidiore. calor enim cibum concoquere plenius poteſt. quamobrem qui cibo inutiles ſunt, in ijs excrementi plus eſt. mobiliores etiam facit natura caloris, ut paſcantur, nec ſtabiles maneant: cuius rei indicium eſt, quòd eorum ſpinis aliquid ſemper adhæreat, tanquam crebro moueantur. ſpinis enim, ut retulimus, ut pedibus utuntur. echinis autem cibo idoneis etſi uerno autumnaliq́; tempore

præcipuè

præcipuè ubertas ouorum eſt,tamen nullo tempore committitur ut ouis omnino careant:ſed maxime plenilunijs diebúsque tepidis reſtituuntur redduntúrque pleniores, præterquam iis quos pyrræus fert euripus.nam illi hybernis menſibus meliores ſunt,parui quidem,ſed pleni ouorum.echinos miræ magnitudinis in inſulis ante Eufraten *reperiri* Strabo *author eſt.* Habere *& fluuiatiles echinos* Paulus Aegineta *prodidit.* Eſt *& echinus terreſtre animal, cuniculi magnitudine,ſed ſpecie porcina,aculeis uallatus,quemadmodum hiſtrix eſt:ubi uero ſenſit uenantem,contractr ore pedibusq;,ac parte omni inferiore,qua raram & innocuam habet lanuginem, conuoluitur in formam pilæ, ne quid comprehendi poſſit præter aculeos. in deſperatione uero urinam ex ſe reddit tabificam tergori ſuo ſpinisq; noxiam, propter hoc ſe capi gnarus.cute cuius expoliuntur lina, & uulgo ericium appellant.* Echinus *tam aquatilis quàm terreſtris.græca uox eſt,à latinis erinaceus appellatus : quanquam* Theodorus *echinum marinum ubique in* Ariſtotele *non aliter quàm echinum interpretatus eſt,* Plinium *forte imitatus.attamen qui terreſtris eſt, erinaceum conuertit. & echinus græcis uas æreum ſignificat,in quod teſtimonia conie&a ſignabantur.ſed & fœni partem,& oleæ genus.item muliebris ornamenti,non diſsimilis omnino brachialibus & armillis.* Pollux *author. & herbæ genus apud* Galenum,*quam & erinon* Dioſcorides *uidetur appellaſſe,quanquam in uetuſtis codicibus non erinos,ſed echinos legitur.* Eſt *& apud* Hippocratem *echini herbæ mentio.dicuntur & in caſtaneis echini,quia eo modo quo echini marini aculeis armati ſunt.* Græci *enim echinon hirtum uocant,inde echinatum dicimus quod ad ſimilitudinem caſtanearum calycis aculeis hirtum eſt.*

EX CAPITE XXXII.

In *eodem genere ſunt cochleæ aquatiles terreſtresq; exerentes ſe domicilio &c.)* Ariſtoteles *quarto de natura animalium ubi loquitur de turbinatis,* Caro, *inquit, prima in ore teſtæ,quam omnia toroſiuſculam habent,alijs magis talis,alijs minus.caput eius medio partis prominulum iungitur,& cornicula duo,quæ pro magnitudine animantis plus minúsue capiunt incrementi.* Exerunt *caput more omnia eodem,idémque per metum retrahunt intro, nonnullis etiam os & dentes acuti breues & tenues,ut cochleis.* Promuſcidas *item gerunt modo muſcarum,quod quidem membrum linguæ effigiem præ ſe fert.* Plinius *item libro undecimo cochleis bina ineſſe cornua ad prætentandum iter tradit.inquit ergo* Plinius *hoc loco:in eodem genere ſunt cochleæ aquatiles terreſtresq; &c.hoc eſt,cochleæ ſunt in eodem tertio genere teſtatorum quæ ſanguine carent,ut echini: quemadmodum de ijs ſuperius expoſuimus.ſunt autem cochleæ inter teſtacea quæ ſanguine carent.* Verum *aliæ aquatiles,aliæ terreſtres ſunt, quæ item in plures ſpecies diſtinguũtur.* Aquatiles *cochleæ ſunt, quæ græce ſtrombi,latinéque turbines communi alio nomine nuncupantur,quòd ex amplo in tenue deficiant in uertiginem torti,quibus caro laxior continetur & abſolutior quàm cæteris biualuis & uniualuis generis.* Mouentur *ſanè omnes & ſerpunt parte dextra,non ad uertiginem ſiue clauiculam,ſed in aduerſum.* Interiorum *natura ſimilis quodam modo in omnibus eſt.differunt enim inter ſe magnitudinis exceſſusq; effectu.gula ijs à uentre duplex longa porrigit ſe uſque ad id quod mutem ſiue papauer appellant, quod poſtremo fundo commiſſum eſt.* Hæc *ergo ut in purpuris & buccinis conſpicua in clauicula teſtæ continetur.quod autem gulæ ſubiungitur,inteſtinum eſt gulæ ipſi continuum,ſimplexq; ex toto uſque ad exitum,cuius*

initium circa anfractum papaueris eſt,quà & laxius hæret.quod enim papauer appellatur, quaſi materia uacans atq; excremẽtitia eſt.Hinc ſurſumuerſus replicans carnis repetit ſedẽ, finitq; ad caput, unde eijcitur excrementum pariter in omnibus turbinatis generibus,tam aquaticis quàm terreſtribus.Partes exteriores eius generis differẽtijs uariantur.nam biualuibus turbinata quodãmodo aßimulãtur:quippe quæ omnia operculo quodã congenito carni patulæ oppoſito claudantur,ut purpuræ,buccinæ,natices,& reliqua generis eiuſdem,id q; præſidij cauſſa.quà enim teſta non protegit,facile offendi poſſent ab ijs quæ extrinſecus inciderent.Turbinati etiã generis alia in anfractum intorta ſunt,ut buccina: alia in globũ tantum circumacta,ut echinorum genus ex Ariſtotele quarto de partibus animalium. Cochlearum genus coire perſpectum eſt.ſed an ortus earum per coitum ſit,nec ne,nondum exploratum ſatis habetur. cochleas autẽ terreſtres ſiue limaces,cochlias & cochlia Græci uocant. nam cochlos & cochlax marinos calculos ſignificat.Eſt & cochlos apud Ariſtotelem animal teſtaceũ,& aliud q̃ limaces,à Theodoro dictum umbilicus. hoc & cochliã eſt ubi Ariſtoteles appellet,ſicut limacem quoq; cochlon.Cochleæ igitur omnes ſiliceo tegmine clauduntur,clauiculatim intorto:quæ cum exerunt caput,bina illa cornicula,ut dictum eſt, prætendunt,equinamq; ſeu potius bouinam effigiem præferunt. quapropter Veneti ab eiuſmodi ſimilitudine eas bubalos appellant,repuntq; tegmina ſua ſecum ferentes.unde Cicero terrigenam,herbigradam,domiportam,ſanguine caſſam cochleam deſcripſit: addidit ſanguine caſſam,ut excluderet ab hac deſcriptione teſtudinem ſanguinis compotem.Teucer autem limacem ad exemplum quæſtionis ludicræ ita finit,animal ſine pedibus,ſine ſpinis,ſine oßibus,cruſtatum,oculos nunc exerens,nunc retrahens.quaſi innuens cornicula illa pro oculis haberi: qui etiã minus rectè cochleas inter cruſtata poſuit,quæ omnia à Plinio & Ariſtotele negata eſſe uidentur. Sunt enim cochleæ inter teſtata,non cruſtata. Inuenio limacis genus cocalian ab Ariſtotele uocari,& aliud abrotonẽ,quanquam ſunt qui locuſtam putant,item qui apem,alij qui piratã in eo uocabulo intelligant.Saliua cochlearum, quæ punctis acu uel ſtilo carnibus manat,à Græcis,ut Galenus inquit,myxa dicitur,hoc eſt mucoſus lentor,ſiue mucor mucúsue.laudatißimæ habentur in Sardinia Africaq; ex M.Varrone, Dioſcorideq;. Africanis duplex genus,nudarũ,tectarũq;,quibus magna fœcũditas.mox præcipua laus eſt Solitanis à patria,& Balearicis,quas in ſpeluncis naſcentes cauticas nominant. Item inſulis Aſtypalæa,Chio,Sicilia,necnon Ligurum alpibus natæ, quas pomatias uocant. Siculæ uero commendantur quamdiu paruæ ſunt,quia magnitudo duras facit,aufertq; ſuccũ. laudantur & Capreарum inſulis.Præterea ſunt quæ albæ ſiue albulæ in Reatino agro,itemq; aceratæ lateq; multifariam naſcẽtes.Strabo cochleas prædicat linuſias,ab agro cui nomen Lino eſt, iuxta Pityuntẽ,medio inter Parianã coloniã & Priapum ſpatio.Necnon ſylueſtres adhæreſcentes frutectis & ſentibus,quarum genus ſeſilon nominant.fluuiatiles uirus habent.In Aegypti Nilo grandißimæ feruntur,uocales ululantium expreſſa ſimilitudine. In Illyria etiam amplitudine commendantur.Iam aliæ in uſu ſunt,aliæ cibis damnatæ.Cochleæ mire in Campania caulem aſphodeli,id eſt haſtulæ regiæ perſequuntur,& ſugendo arefaciunt. limax teſta detracta hebeteſcit,proceſſu utique temporis,id quoq; in aureliã tranſit ut eruca, atque immobile uiuit.ſed quidnam ex eo animalis pennati oriatur,compertum non adhuc eſt. Vbi etiam limax ſit,neque ſus eſt,neque perdix.omnes enim limaces ab his eduntur.

EX CAPITE XXXIII.

Pectines in mari ex eodem genere habentur.) Similiter pectines ſunt ex eodem genere, ſcilicet teſtatorum quæ ſanguine carent. Sunt autem pectines conchæ ſtriatæ, teſtis biualuibus, altera tamen tumida, altera plana, binisque auriculis angularibus. & reſeratiles ſunt. ab altero enim latere nodo ligantur. admoto quoque digito dehiſcunt, mox comprimunt ſe, ut cernentes. Pectines ait Ariſtoteles locis arenoſis ſui ortus initia capere, & celeri incremento augeri, quippe qui anno perfici poßint, quos etiam uolare aiunt. Et quoniam ſua cuique poteſt eſſe ſententia, ego non exiſtimo pectines uolare poſſe per aera. cum enim callo illo interiori ambæ teſtæ adeo connexæ ſint, ut difficile diuelli queant, non poſſunt ita libere aperiri, ut uolare ualeant. quamobrem uolare hoc in loco pro ſalire celeriter in modum uolatus, & diſcurrere de loco ad locum potius interpretarer. pectines enim tãta uelocitate dehiſcunt, ut ex uehementi repercußione ſaliant & ſuperiactent, ut quaſi uolare uideantur. ſic enim Ariſtoteles quarto de hiſtoria tradidit: Concharum item alia ſe mouent ut pectines, quos etiam uolare nonnulli aiunt: nam & de ferramento quo capiuntur, ſæpe exiliunt. & alibi: Pecten potißimum plurimúmque ſe mouet uolatu. quod etiam Plinius ſuperius capite de loligine commeminit, pectunculos eos appellando. & quidem pectines cum anni pluuij ſunt, tunc magis trahunt rufum colorem. iam in Pyrrhæo euripo pectines aliquando defuerunt, non modo propter ferramentum quo piſcatores abradendo ubertim caperent, uerum etiam propter ſiccitates: qui tunc quidem optimi, cum grauidi ſunt. ſed quanquam pectines grauidos dicimus, tamen nullum eorum uel coitum uel partum uidemus, ſed tantummodo ouum illud uocatum. laudatißimi Mitylenis, ut Phihllius, Phrynicus & Ariſtophanes tradidere, Tyndaride, Salonis, Altini, Antij, in inſula Alexandriæ in Aegypto. Reconditi & ipſi in magnis frigoribus ac magnis æſtibus.) Ariſtoteles octauo de hiſtoria: Pectines canis exortu latent. ſed eorum plurima ſanè latent & algore urgente & æſtu. & quinto eiuſdem hiſtoriæ: Latent aliquandiu in arena pectines, quos & Veneri conferre Alexis in Pamphila teſtatum reliquit. Vnguésque uelut igne lucentes in tenebris, etiam in ore mandentium.) De unguibus, quos Græci onychas uocant, Plinius eadem repetere infra uidetur hoc libro, quos & dactylos, hoc eſt digitos, & ſolenes, & aulos & donacas triceſimoſecundo uolumine appellauit, nec in ijs aliam differentiam fecit Athenæus, quàm quæ inter mares & fœminas: quemadmodum & Diphilus, ſolenes, inquiens, ſunt multi ſucci, & mali & uiſcoſi: & mares ipſarum ſunt uargati, & coloris cœleſtis, de quibus etiam meminit Speuſippus. Sunt autem ungues è concharum genere, læues, digitalis longitudinis, tenuesq́;, ab humanorum unguium ſimilitudine ſic appellati, binis quidem concluſi ualuulis, uerum utroque latere connexi, ad ſtrepitum ſe ſubtrahentes, inferiusq́; ſubſidentes, quoties ferramentum ſentiunt admoueri. exiguo nanque extant, reliquo autem corpore perinde ac in cubili occuluntur, euulſiq́; uiuere nequeunt: locisq́; arenoſis ſui ortus initia capiunt, ex Ariſtotele: arenáque etiam paſcuntur, ut teſtatur Oppianus. Veneti conchas longas cognominãt. Hinc & piſcatores oſtrearum ſoliniſtæ nominabantur, ut Athenæo placuit. & unguis operculum conchylij eſt, quale in purpura uiſitur. in paludibus Indiæ naſcitur, ubi regio eius nardifera eſt, ideoq; odoratus conchylijs fruticem nardi paſcentibus. leguntur hæc è lacu, cuius paluſtria æſtate ſiccantur. Prima tamen authoritas à rubro mari adductis colore ſubcandido, pingui-

bus.nigricant Babylonij,minoreſq́; ſunt.utriq; generi odor ſuauis,caſtoreum aliquatenus imitans cum ſuffitur.author eſt Dioſcorides. nonnulli uero oſtracium appellant, ſiue oſtracon. Galenus poma,hoc eſt cauum,ſiue quod idem eſt,operculum,etiam in purpuris.onychem uero Paulus teſtam uocari dicit conchylij,duntaxat indici,quod & condylion appellat.Condylos certe oſtrei genus eſt eidem Paulo.& ampulla ungenti onyx quandoq; dicitur. Firmioris iam teſtæ murices.) De muricibus infra ſuo loco diſſeremus. Nauigant ex his Neritæ &c.) Nerites quam Theodorus naticem interpretatur,turbinati generis eſt,teſta leui,ampla & rotunda.forma buccinis proxima eſt,papauere tamen non nigro ut illa,ſed rubro.teſtæ adnexum corpus mediũ eius firmiter eſt.paſcuntur hæc mari tranquillo abſoluta ſaxis,quibus etiam adhæreſcunt,more patellarum & muricum,& cæterorum generis eiuſdem.nec niſi tegmine dimoto adhærent,quod uelut operculum ſibi poßident.rimis cauerniſq́; ſaxorum generantur:celeriq́; incremento augentur.qui natices capiunt,non aduerſo flatu,ſed ſecundo adeunt,quoties eſcam perſequuntur.nec uoce ulla,ſed ſilentio agunt, utpote cum & olfaciant,& audiant.nec fieri poſſe aiunt quin ſubterfugiant,ſi uox proferatur.

EX CAPITE XXXV.

Sed quota hæc portio eſt reputantibus purpuras, conchylia, margaritas?) De purpuris & conchylijs inferius peragemus, ubi Plinius mentionem facit abunde.Sunt autem margaritæ(ita enim lingua indica appellantur,ut Arrianus author eſt) quas Romani ſoli,ut inquit Plinius,uniones appellarunt,quòd nullæ duæ margaritæ ſimul reperiantur,ſed ſemper diſcretæ & unæ,ſpecie tum orbiculares,tum etiam ouales faſtigiata longitudine, elenchi appellati,candore nitentes,ſi noui ſunt.nam cum uetuſtate decolores deterioréſque efficiuntur.Laus enim omnis in candore, magnitudine,orbe, leuore pondereq́; conſiſtit,& maxime qui exaluminati uocantur. Speciem quoque unionum habent quæ phyſemata & tympania Græci uocant,parte altera tumida:ſed differunt,quòd phyſemata ſunt aere inflata ſine corpore,tympania intus ſolida, ut inferius liquebit. oriuntur in conchis,haud multum oſtrearum conchis differentibus,teſta interius leui ac perlucida, quæ ad dealbandam faciem ſine nocumento præclara res eſt, ſi eam in puluerem minutiſſimum cultro raſeris, poſtmodúmque aquæ exiguo maceratam nocte ori circunlinueris,ac mane poſtea fruſto telæ tenuiſſimæ aqua madefacto leuiter abſterſeris. Sunt & aliæ conchæ quæ generant uniones. nam circa Boſphorum Thracium, quem nunc Strictum Conſtantinopolis uocant, uniones ruffi ac parui reperiuntur in conchis,quas myas appellant:& in Acarnania,quæ uocatur pinna gignit.Iuba quoque tradit Arabicis concham eſſe ſimilem pectini inſecto, hirſutam echinorum modo:ipſum unionem in carne ipſa eſſe grandini ſimilem. Similiter & Androſthenes teſtatur quoddam concharum genus in India reperiri,ex quibus margaritæ uelluntur,pectinis effigie,niſi quòd nec auriculas habent ut pectines,nec teſtas aſperas, ſed leues,quas indigenæ berberim & berberion cognominaut,ut author eſt Athenæus. Megaſthenes item ſcribit,ut Arrianus refert, conchas in quibus margaritæ aut uniones gignuntur, retibus capi, gregatimq́; multas ueluti apes depaſci,regémque ſuum habere:ac ſi contingat regem comprehendi à piſcatoribus,eas protinus circunfundi,nec uim effugere:fugiente rege, & ipſas effugere.earum carnes Indos corrumpi ſinere,oſſe ad ornatum uti.Sunt & cochleæ margaritiferæ Plinio triceſimoſecundo uolumine:quarũ generis ſunt pentadactyles, melicembales.

les.echinophoræ dicuntur,quibus cantant. Fertiliſſima eſt Taprobane & Toidis.) *Eſt alia inſula ex* Plinio *libro ſexto* Tylos *appellata, plurimis margaritis celeberrima, cum oppido eiuſdem nominis.* Quare præcipuum cuſtodiunt pelago altius merſæ quàm ut penetrent radij.) *Videtur* Plinius *ex uerbis quæ paulò ſupra retulit,ſibi ipſi contradicere. nam ſi conchæ hæ margaritiferæ altius & in profundo maris ſtabulentur, ut hic & libro tricesimotertio teſtatur,ubi ait:ut iam minus temerarium uideatur è profundo maris petere margaritas,tanto nocentiores fecimus terras:quo pacto tanto aquæ interuallo pandentes ſeſe quadam oſcitatione impleri roſcido conceptu,& pro qualitate roris accepti uniones candidæ & ſordidæ atque pallentes fieri poterunt? Propterea cum in profundo maris conchas degere ſecundum naturam ſit,cenſeo margaritas neque concipi,neque eiuſmodi qualitates roſcido humore ſuſcipere:ſed ex carne ſua generari,qualitatesq́; huiuſmodi ſibi per ætatẽ accedere.* Quæ uocant phyſemata efficere.) *Phyſemata margaritarum quidem ſpeciem habent, uerùm aere ſunt inflata,à bullarum ſimilitudine,quæ in aqua ſpiritu excitantur,præcipue dum bullit.bullas enim phyſemata* Græci *uocant.* Ob id tympana nominantur.) *Codices antiqui tympania ſcriptum habent,ut ſit à tympano:quemadmodum & inferius crotalia à crotalo,non crotala nuncupauit. Eſt autem tympanum inſtrumentum ex una parte tumidum & rotundum,ex altera planum membrana clauſum,intus uacuum,uulgo uaccarum uocatum,quod baculo feritur,cum turmæ equitum ad pugnam concitatæ ſunt.inde margaritæ quæ ab una parte tumidæ ſeu rotundæ ſunt,& ab altera planæ,à tympanorum ſimilitudine tympania nominantur.* Operitq́; opes,gnara propter illas ſe peti.) *Codices omnes tum manu ſcripti tum etiã impreſſi legunt:Operitq́; opes ſuas,gnara propter illas ſe peti.* Nam apud Græcos non eſt,nec apud barbaros inuentores eius aliud quàm margaritæ.) *Ita inquit* Arrianus, *lingua* Indica *appellantur margaritæ.* Hermolaus *uero uidetur indicare hoc loco uniones alio etiam quàm margaritæ nomine apud barbaros appellatos fuiſſe,allegans* Androſthenem *in paraplo* Indiæ,*ut* Athenæus *author eſt,ſcripſiſſe oſtrei genus illud margaritiferum in* India *uocari berberim,ſpecie pectunculi, non tamen cælata ſed leui teſta,nec auriculas habere duas ut pectines,ſed unam:cum tamen* Plinius *non de conchis ijs margaritiferis ut* Androſthenes, *ſed de margaritis ſiue unionibus ipſis loquatur,alio profecto carentibus nomine. Immo* Plinius *dixit uniones non uno conchæ genere naſci,earum nomina ferè omnia reddens.nam genus unum haud multum oſtrearum conchis differens eſſe meminit: & quæ circa* Boſphorum Thracium *uniones gignunt,myas nocari, & in* Acarnania *quæ uocatur pinna gigni, &* Arabicis *concham eſſe ſimilem pectini inſecto hirſutam echinorum modo.necnon cochleas margaritiferas reperiri libro tricesimoſecundo retulit,quarum generis ſunt pentadactyles,melicembales &c.eradendum uidetur in uerbis* Hermolai *hirſutaq́;. nam ſi teſta leuis eſt,non erit hirſuta.* Indicus ſpecularium lapidum ſquamas aſſimilat.) *Vetuſti codices ubique & quidem rectius legunt, aſſimulat. Dicimus aſſimulo pro comparo, non aſſimilo, quod pauci animaduerterunt.* Summa laus coloris eſt exaluminatos uocari.) *Exaluminati uniones illi appellantur,qui colore maxime præſtant, & perlucidi ſunt.ij nanque ſummo habentur precio.Tempore meo* Murianenſes *uitrearij uniones adulterabant. primum uniones uitreos uacuos,ſed translucidos faciebant. deinde materia implebant, qua ſplendidi, & unionum coloris redderentur intantum,ut uix à ueris unionibus diſcerni poſſent.Quapro-*

pter fuerunt decemuirorum decreto uetiti. Elenchos appellant faſtigiata longitudine,ala baſtrorum figura,in pleniorem orbem deſinentes.) Elenchi ſunt uniones facie turbinata, ex amplo ſcilicet in tenue deficientes, quos pyra modo uocant. De elenchis unionibus Iuuenalis ſatyra ſexta,

Cum uirides gemmas collo circundedit,& cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.

Quos puto Senecam intellexiſſe ſeptimo de beneficijs libro in furorem mulierum ſcribentem: Video,inquit,uniones non ſingulos ſingulis comparatos,iam exercitatæ aures oneri ferendo ſunt,iunguntur inter ſe,& inſuper alijs binis ſuperponuntur. non ſatis muliebris inſaniã uiros ſubiecerat,niſi bina aut trina patrimonia auribus ſingulis pependiſſent. Elenchon latini indicem interpretantur, cuiuſmodi eſt apud Plinium primi libri inſcriptio. nam & libros elenchorum ſcripſit Ariſtoteles. Alabaſtrum uero erat uas unguentarium forma turbinata,ſine anſulis,quod ex lapide alabaſtrite onyche antiquitus appellato,fiebat,quoniam ut inquit Plinius ſexto & triceſimo uolumine,optime unguenta incorrupta in eo ſeruari dicitur. Crotalia appellant.) Crotalia hæc à ſono uocantur,propter colliſionem ipſam margaritarum,quòd ſono crotala inſtrumenta imitarentur. eſt enim crotalum inſtrumentum rotundum circulo ligneo factum,cum laminis quibuſdam ex ære rotundis numiſmatis magnitudinis,ſonum ex colliſione reddentibus,dictum à pulſatione:nam manu pulſatur. utebantur hoc inſtrumento Aegyptij in deorum ſolennitatibus. Virgilius,

Copa ſyriſca caput graia redimita mitella,
Criſpum ſub crotalo docta mouere latus.

Cuius & Macrobius meminit:nunc cymbalũ uocant,illud dico quod mẽbrana caret. Affectantq; iam & pauperes,licitatorem fœminæ in publico unionem eſſe dictantes.) Vetus lectio: cupiuntq; iam & pauperes, licitatorem fœminæ in publico unionem eſſe dictitantes.

Quin & pedibus,nec crepidarũ tantum obſtragulis ſed totis ſocculis addunt) Obſtragula,ut arbitror,ſunt ligacula illa quæ calceos & crepidas obſtringunt, ab obſtringendo dicta, quibus ſolebant Romanæ mulieres uniones appendere,obſeruantq; in hunc diem,uniones & pilulas argenteas alligantes. Crebrius circa Boſphorum Thracium, ruffi & parui in conchis quas myas appellant.) Myes,quos Latini mitulos interpretantur, conchæ ſunt teſtis læuibus,ſed interius nitentibus & perlucidis,ut oſtreæ margaritiferæ,labijs quoq; tenuioribus quàm oſtreis,eiuſdẽ propè generis cũ ijs qui uel in flumine generantur. nos tales nõ modo in Boſphoro Thracio,ſed alijs quoq; locis conſpeximus, quos nunc muſculos appellant, quos Plautus in rudente muſculos ut arbitror appellauit,his uerbis: Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatũ,pro exercitu gymnaſtico & palæſtrico hoc habemus,echinos,lepadas,oſtreas, balanos captamus,conchas,marinam urticam,muſculos,plaguſias,ſtriatas &c. cuius ſententiæ indicium affero,quòd ferè omnes è teſtaceo genere ſunt. ſic etiam Celſus ſecundo libro, oſtrea,inquit,pelorides,echini,muſculi, & omnes fere conchulæ ſcilicet aluum mouent. huic proximum genus eſt quas myas,hoc eſt muſcas uocant. differunt à mitulo rotunditate, minores aliquanto atq; hirtæ,tenuioribus teſtis,de quibus Plinius & Athenæus meminerũt. eſt & miſtocetus Ariſtoteli tertio de hiſtoria,quem Plinius & Theodorus muſculum conuertere,pilos in ore intus habens uice dentium quibus omnino caret,ſiallis ſimiles. Diphylus & mya,

myã,id eſt murem,piſcem dicit eſſe quendam,durum,difficilioris concoctionis, cutem tamen ſuauem habere,cui & Capriſco nomen ſit. Non deſunt qui myacas in Dioſcoride *myas ſiue mitulos eaſdem eſſe conchas putent, cum tamen* Plinius *hoc ipſo uolumine mitulos in arenoſis prouenire prodiderit,& libro triceſimoſecundo myacas in mitulos degenerare, atq; in algoſis non arenoſis uiuere teſtatum reliquerit. alij uero tellinas pro pectunculis capiunt, ſiquidem affirmare poßint medicinas quæ de tellinis redduntur à* Dioſcoride,*ad uerbum ferè pectunculis Pliniũ aſſcripſiſſe::qui tamẽ coargui facile poſſunt authoritate item* Hippocratis,*tellinas à pectunculis diſtinguentis.* At in Acarnania quæ uocatur pinna gignitur.) Democritus *uidetur appellare pinnam concham quandam* Aegyptiã *paralion cognomine, nec credo hanc intellexiſſe* Plinium,*cum in* Acarnania *non in* Aegypto *reperiri tradat:ſed potius pinnam concharum generis maximam,quæ in arenoſis limoſisq; ſubrecta ſemper naſcitur,teſta ſcabra,intus perlucida,nec unquam ſine comite,quẽ pinnotheren uocant, de qua infra ſuo loco diſſeremus.* Enormes & feri,colorisq; marmorei.) *Antiqua lectio melior, enormes ferè,concoloresq; marmori.* Romæ in unionibus magnæ taxationis Clodius tragœdi Aeſopi filius &c.) *De hoc* Aeſopi *tragœdi filio* Valerius Maximus *libro nono meminit,& idem refert.* Singulos uniones conuiuis ad ſorbendum dedit.) *Vetuſti codices elegantius,non ad ſorbendum,ſed abſorbendos legũt.ſic paulò ſupra,*Detractum dixit alterum merſit,ac liquefactũ abſorbuit. Conchylia & purpuras omnis ora atterit.) *Per conchylia hoc loco aliqui intelligunt murices.Murex enim conchylium per excellentiam dicitur. unde ueſtis tincta murice conchyliata dicitur.*Plinius *infra:*In conchyliata ueſte cætera eadem ſine buccina. *Et* Cicero *in* Philip. *conchyliata periſtromata appellat,quæ infecta erãt ſucco conchyliorum.Ponitur tamen conchylium & pro ipſo colore, ſicut purpura , murexq;.idem:* Concharum ad purpuras & conchylia eadem quidem eſt materia,ſed diſtat temperamento. *Quandoq; generale nomen eſt ad omnes conchas à quibus nomen accepit.*Plinius *infra:*Lingua purpuræ longitudine digitali,qua paſcitur perforando reliqua conchylia. *& ſupra libro ſecundo,*Spiritum,inquit,ſidus lunæ exiſtimari, & hoc eſſe quod terras ſaturet, accedensq; corpora impleat,abſcedensq; inaniat.ideo cum incremento eius augeri conchylia, & ſpiritum ſentire quibus ſanguis non ſit.

EX CAPITE XXXVI.

Purpuræ uiuunt annis plurimum ſeptenis.) *Ariſtoteles quinto de hiſtoria:* Tempus,inquit,uiuendi & purpuris & buccinis longum. Annos circiter ſex purpuræ uiuunt. *Purpura Græcis porphyra uocata,concha eſt è turbinatorum genere, aculeis clauata, lingua digitali,firma,toroſa & ualida,duritia tanta ut conchas poßit perforare,flore purpureo, qui nigrantis roſæ ſplendore ſublucet,colorum omnium gratißimo, tingendis ueſtibus maxime expetito.* Latent ſicut murices circa canis ortum tricenis diebus.) *Ariſtoteles octauo de hiſtoria:*Purpuræ,inquit,& buccina canis exortu dies circiter tricenos conduntur. *quod quinto etiam eiuſdem hiſtoriæ retulerat, his uerbis:* Caniculæ tempore purpuræ nullæ ferè capiuntur.non enim tantiſper paſcuntur,ſed ſe abſcondunt,& latent. Congregantur uerno tempore,mutuoq; attritu lentorem cuiuſdam ceræ ſaliunt.) *Verba ſunt* Ariſtotelis *in quinto de hiſtoria,à quo* Plinius *hæc omnia mutuatus eſt.Propterea magis approbarem,ſi cuiuſdam cerij,hoc eſt faui,non cuiuſdam ceræ legeretur.nam coagmentatio illa quam* Ariſtoteles

meliceram,uel ut Theodorus uertit,fauagmem uocat,quam purpuræ uerno tempore conſtruunt,fauo ſimilis eſt:quæ nec ex cera,ſed ex purgamentis,ceu putaminibus cicerum alborum conſiſtit. Ariſtotelis autem uerba ſunt:Purpuræ uerno tempore eundem in locum ſeſe colligentes condunt quam fauagnẽ nominant, quæ uelut fauus eſt apum:uerum non ita elegans,ſed quaſi è putaminibus cicerum alborũ multa inter ſe compoſita ſtruẽ unam ſua cohæſione coagmentarint.nullũ ijs patet foramen, neque ex ijs purpuræ enaſcuntur,ſed cum purpuræ tum etiã reliqua teſtis incluſa è limo ferè & materia putreſcente oriuntur.illa uero coagmentatio fauo ſimilis,tanquã purgamentum, tam ijs quàm buccinis euenit.nã buccinis quoq; fauificare in more eſt.itaque ne ea quidem quæ ex teſtaceis fauos ſaluũt, alio modo q̃ cætera teſtis incluſa generantur.uerum melius atque uberius quoties præſunt quæ eiuſdem ſunt generis.emittunt enim cum ſuos ordiuntur fauos,mucorem quendam,ex quo putamineæ cellulæ illæ conſiſtunt.hæc ergo rupta diffuſaq; omnia,humorem quem continebant, in terram dimittunt. Mox eo quo effuderint loco gignuntur purpurulæ exordio admodũ exiguo conſiſtentes,quas ſibi annexas gerunt quæ grandes capiuntur.nonnullæ etiam forma nondũ diſtinctæ cernuntur.ſi fortè priuſquam pepererint capiantur,fœtus interdum per crates & tegetes non qualibet elidunt,ſed congregatæ eodem,ut facere in mari ſolent.itaque per anguſtiam uelut uuæ ſpecie fœtus conformatur. Addo etiam quæ tertio de generatione animalium teſtatur,uidelicet, Buccina & purpuræ,& quæ fauare dicũtur, quaſi à ſeminali natura humores quoſdam mucoſos emittunt.Suam tamen cuique exiſtimationem relinquo. Fauus etiam ſiue cerion,morbi genus eſt in ſcapulis & pectore frequentior,multis foraminibus humorem glutinoſum manantibus mellis craßitudinem referentem, carne in altitudinem corrupta, & ſubpallida,ut ait Pollux:quod quidem genus à Celſo libro quinto.meliceria nominatur, cuius ſpecies duas fecit. Simili modo & murices.)ſcilicet ceryces fauos extruunt ſimili modo,quo purpuræ. Ariſtoteles quinto de hiſtoria:Illa uero,inquit,coagmentatio fauo ſimilis tanquam purgamentum,tam ijs ſcilicet purpuris,quàm cerycibus ſiue buccinis euenit: nam cerycibus quoque fauificare in more eſt.Verum ex uerbis tum Ariſtotelis paulò ſupra & modo dictis, tum etiam Plinij ſupra & infra relatis,coniectare licet,Plinium cerycem modo muricem ex eo quòd uertigo conchæ in acutum maxime tendat:(murex enim pro acuto quandoque capitur)modo buccinum,quia ſit alteri turbinato generi buccino dicto ſimilis,conuertiſſe: quem Theodorus uocis ſignificationem imitatus,buccinum ſemper interpretatus eſt. Ceryx enim idem quod præco ſignificat. uerum quæ aporredes uocantur, murices conuertit,ut muricis nomen generalius eſſe quàm buccini coniectare liceat.Ceryx igitur qui ſecundum Plinium latine murex & buccinum uocatur,concha eſt è turbinato genere, purpuris magnitudine inferior,ſimilis buccino illi turbinatorum generi, quo ſonus editur, oris tantum rotunditate in margine inciſa differens,promuſcidem modo muſcarum habens, firmam & toroſam, quæ linguæ effigiem præ ſe fert:cuius flore illo purpureo antiqui ueſtes inficiebant,quæ muriceæ & conchyliatæ dicebantur. Murex interdum accipitur pro purpura & eius colore,interdũ pro acumine & aſperitate ſaxi. Virg.5.Aeneid. Et acuto murice remi Obnixi crepuere. Idem Bucol. Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti Murice.
Et iiij. Aen. Tyrioq; ardebat murice læna. Sed purpuræ florem illum tingendis expetitum ueſtibus,in medijs habent faucibus.liquoris hic eſt minimi in candida uena, unde

unde precioſus ille bibitur nigrantis roſæ colore ſublucens. reliquum corpus ſterile) Ariſtoteles quinto de hiſtoria libro, purpuræ, inquit, florem ſuum inter papauer dictum & collum continent, textu ſpiſsiore, aſpectu ueluti membranæ candicantis, quam detrahunt. tingit hæc preſſa, & inficit manum: pertinet eadem ſuo ſitu perinde ut uena, idq́; flos celeber putatur. reliquum contextus quaſi alumen eſt. Cum fauificant purpuræ, tum deterrimum habent florem, quem liquorem ſiue ſuccum & florem & rorem, & ſarranum, & tyrium, & ſaniem, & pelagium Latinis uocatũ reperio, præſertimq́; oſtrum à Vitruuio libro octauo. Viuas capere contendunt, quia cum uita ſua ſuccum illum euomunt) Eradendum eſt ſua, nam uetus lectio cum uita ſuccum, non cum uita ſua ſuccum legit. Sic etiam Ariſtoteles quinto de hiſtoria: Dant operã ut uiuæ frangantur. nam ſi prius quàm fregeris, expirarunt, florem omnem cum uita euomunt: quapropter ſolent eas aſſeruare in naſsis, dum ipſi ſe colligant atque requieſcant. Veteres naſſam eſcæ adiunctam demittere non ſolebant. itaque ſæpe accidebat, ut purpura iam extracta decideret. At homines noſtræ ætatis adiungunt naſſas, ne ſi decidat, abſoluatur: quod tunc potiſsimum euenit, cum plena eſt. nam ſi inanis ſit, difficile ſe euellere poteſt. hæc propria eueniunt purpuris. Et maioribus quidem purpuris detracta concha auferunt, minores trapetis frangunt) Ariſtoteles eodem loco: Paruas, inquit, purpuras tundunt cum teſtis. non enim detrahere facile eſt. maiorem florem teſta ablata detrahunt. quãobrem euenit, ut collum à papauere ſeparetur. flos enim poſitus inter hæc eſt, ſupra eã partem quam uentrem appellant. Itaque detracto flore diuidantur partes iſtæ neceſſe eſt. Ita demum rorem excipientes Tyrij) Tyrij à Tyro Phœnices inſula, ubi purpuræ nobiliſsimæ producuntur. Tyria enim purpura omnium optima Straboni, Plinio, cæteris perhibetur.

Præcipuus hic Aſiæ) Hic purpurarum flos nullibi in tota Aſia, quàm qui in Tyro inſula precioſior reperitur. Nam flos purpuræ tyriæ cæteris purpurarũ floribus gratior eſt. hinc ueſtes purpureæ, tyriæ atq; ſarranæ dictæ ſunt. In Meninge Africæ) Meninx inſula Africæ eſt, non longe à Syrtibus diſtans, quam Lotophagorum terrã putant: cuius Homerus meminit, ubi fuit Vlyſsis ara, quæ oppidum habet eodem nomine. Plinius, Strabo, Ptolemæus.

Et Getulo littore oceani) De purpura Getulica Plinius libro ſexto & triceſimoquinto, ubi de atramentis loquitur, ait: Puteolanum potius laudatur quàm tyrium, aut getulicum, aut laconicum: unde precioſæ purpuræ capiuntur. Hinc faſces ſecureſq́; Romanæ uiam faciunt) Faſces & ſecures capiuntur hic pro magiſtratibus & honoribus qui à populo præſtabantur. Nam cum lictores faſcibus uirgarum & ſecuribus alligatis ad terrorem, Conſules & alios magiſtratus præire ſoliti eſſent, factum eſt ut faſces & ſecures pro magiſtratibus & honoribus uſurpemus. Virgilius, Non illum populi faſces, non purpura regum

Flexit. Erant autẽ lictores, qui carnificis officio fungebantur, miniſtri Conſulum, Prò-conſulum & ſimilium: ſed conſulis duodecim erant, aliorum ſeni tantum, portantes uirgarum faſces ſecuribus alligatos: magiſtratuſq́; præibant: ac quoties iuſsi erant, faſces ſoluẽtes primò uirgis cædebant reum, mox ſecuri feribant. Liuius: Miſsiq; lictores ad ſumendum ſupplicium, nudatos uirgis cædunt, ſecuriq́; feriunt. hos primus inſtituit Romulus. dicti à ligando lictores, quòd uirgarum faſces ligatos gerebant. Idemq́; pro maieſtate in pueritia eſt) Vetus lectio, idemq́; pro maieſtate pueritiæ eſt. Lingua purpuræ longitudine digitali, qua paſcitur perforando reliqua conchylia, tanta duritia aculeo eſt) Ariſtoteles quinto de hiſto-

ria: Longior digito lingua hæc purpuris eſt, qua paſcitur, & tum conchulas, tum etiam ſui generis teſtam perforare poteſt. & ſecundo de partibus animaliũ, ubi loquitur de lingua, inquit, purpuris enim tantam obtinet uim hoc membrũ, ut teſtas conchyliorum transfigere ualeat, uelut turbinũ quorum eſca capiuntur. Aqua dulci enecãtur, & ſicubi flumini immerguntur: alioqui captæ diebus quinquagenis uiuunt ſalua ſua) Ariſtoteles octauo de hiſtoria: Teſtaceo, inquit, generi anni pluuij proſunt, præterquã purpuris. cuius rei indicium eſt, quòd ſi amnis in mare fluentis aquã guſtauerint, moriuntur eodem die. uiuit purpura extra mare, quæ capta eſt, dies circiter quinquaginta. Alit altera alteram eo quod ſua teſta generatũ ueluti algam muſcúmue gerit. quæ autem pro cibo ijs afferunt, ponderis cauſſa hæc adhiberi aiunt, ut in libra ſint grauiores. Conchæ omnes celerrime creſcunt, præcipuè purpuræ, anno magnitudinẽ implent) Ariſtoteles quinto de hiſtoria: Omnia id genus celeri incremento augentur, ſed præcipuè purpuræ atq; pectines, quippe quæ anno perfici poßint. Vt tanquam in uictu frugum naſcitur ratio) Legendum noſcitur, non naſcitur, ex uetuſtis codicibus. Concharũ ad purpuras & conchylia eadem quidem eſt materia) Purpura & conchylium hoc loco ſumitur, ut diximus, pro colore. Duo ſunt genera, buccinum minor concha ad ſimilitudinem eius buccini quo ſonus editur, unde & cauſſa nomini, rotunditate oris in margine inciſa) Ecce buccinum pro ceryce ſeu murice dictum à Plinio. cum enim ex ipſo Plinio duo ſint genera turbinatorum continentiũ florem illum tingendis ueſtibus expetitum, alterum ſcilicet buccinum, alterum purpura, quæ alio nomine ex ipſo Plinio pelagia nuncupatur, neceſſe eſt buccinũ eſſe qui ceryx, murex, & conchyliũ appellatur. erit igitur buccini eadem quæ cerycis ſiue muricis deſcriptio. Eſt enim turbinati generis concha, ſine aculeis, ſimilis buccino illi concharũ generi quo ſonus editur: differt tamen rotunditate oris in margine inciſa. Nam buccino, qui ſonum edit, non eſt inciſa. Alterum purpura uocatur caliculatim procurrẽte roſtro, & caliculi latere introrſus tubulato, quà proferatur lingua. præterea clauatum eſt ad turbinem uſq; aculeis in orbem ſeptenis ferè, qui non ſunt buccino: ſed utriſq; orbes totidẽ, quot habent annos) Liberatus nunc Theodorus à falſa calumnia Marcelli, qui in ſuo Dioſcoride ubi de purpuris loquitur, eum reprehendit, quòd ubi in Ariſtotele, annos circiter ſex purpuræ uiuunt, & ſingulis annis incrementũ eorũ patet, per orbes, quibus totidem quot annos habẽt, conuerterat, non orbes ſed uolutas interpretari debuerat: non animaduertens homo nimis ſciolus uideri cupiens, quòd ita Plinius etiã hoc loco Ariſtotelem conuerterat. quare Theodorus Pliniũ Ariſtotelis meliorem q̃ Marcellum interpretem imitatus, orbes rectius q̃ uolutas conuertit. Nam uolutæ appellantur, quòd circuli ſiue orbes illi interiores uolutim complicentur, & ab exterioribus faſciolæ modo inuoluãtur & obteguntur. prima namq; uoluta ſiue plicatura integitur à ſecunda, & ſecunda à tertia, & ſic uſq; ad ultimã: quemadmodum in uoluta capituli à Vitruuio demonſtrata conſtat. At qui in purpuris orbes uocãtur, omnes detecti ſunt, clauiculatim in faſtigiatã longitudinem exeuntes, nullo orbe ab altero uolutim intecto. Sed ut ad rem redeã, ego potius cuniculatim, & cuniculi unà cum Hermolao legerem, tum ex Plinio ipſo ſuperius, ubi de concharũ generibus loquitur, in quibus magna ludentis naturæ uarietas, dicente cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata: tum ex Ariſtotele quinto de hiſtoria, ut Theodorus uertit. Tempus, inquit, uiuẽdi & purpuris & buccinis longũ: annos enim circiter ſex purpuræ uiuunt, & ſingulis annis incremen-

tum eorum

tum eorum patet per orbes: quibus totidem quot annos habent, teſtæ intorta cuniculatim in crepidinem deſinit. & quarto de partibus animaliū: Genus, inquit, teſtatum omnino partim cruſtatis, partim mollibus ſimile eſt. quà enim foris terrenā portionem, intus carneam habēt, cruſtatis aſsimulantur: quà autē forma eiuſmodi corporis cōſtat, cum mollibus cōuenit omne quodāmodo, ſed præcipuè quæ ex turbinatis cuniculo in anfractum contorquentur. Eſt ubi etiā clauiculatim, ut quarto de hiſtoria duobus in locis, interpretetur. primo facie dixit clauiculæ buccinorū. ſecundo, mouentur item eadem omnia turbinata parte dextra, non ad uertiginem ſiue clauiculam, ſed in aduerſum. & quarto de partibus animalium: Continent quod papauer uocatur, turbinata omnia ſua claucula. ſic etiā Hermolaus in Dioſcoride libro ſecundo, ubi ait: Cionia uocantur partes in buccino atq; purpura mediæ, ſecundum quas filicei operimenti clauicula eſt. Cæterum exemplaria antiqua caniculatim & caniculi legunt. facilis corruptio, quinta uocali in primam mutata. Buccinum non niſi petris adhæret, circaq; ſcopulos legitur) Quod hic de buccino dicitur, Ariſtoteles de aporrede quarto de hiſtoria dicere uidetur, quam Theodorus muricem conuertit. Verba Ariſtotelis hæc ſunt: Natices ſaxis adhæreſcunt more patellarum & aporredum ſiue muricum.

EX CAPITE XXXVII.

Purpuræ nomine alio pelagiæ uocantur) Ariſtoteles quinto de hiſtoria uidetur potius dicere pelagiam eſſe purpuræ ſpeciem, quàm purpuram alio nomine uocari pelagiam, ut mox uerba in teſtimoniū adducemus. Earum genera plura, pabulo & ſolo diſcreta &c.) Ariſtotelis uerba hæc ſunt: Genera purpurarum plura, & nonnullæ magnitudine augentur inſigni, ut quæ ad Sigæum & Lectum Idæ promontoria gignuntur. aliæ paruæ, ut quas euripus fert & Caria. pelagiæ magnæ ſcabræq; ſunt, quarum flos magna ex parte niger, ſed nonnullis rubidus puſillus. nōnullas ex magnis uel ad preciū minæ euadere nouimus. paruæ ad litora & oras reperiūtur flore rubeo. partes item aquiloniæ nigras, auſtrinæ rubras magna ex parte ferūt. Ex quibus uerbis, uidelicet, pelagiæ magnæ ſcabræq; ſunt, apparet quòd ſi uerum eſſet quod ait Plinius, purpuras ſcilicet alio nomine pelagias nominari, ſequeretur quòd eæ quæ paruæ ſunt, non appellarentur purpuræ, cum eæ quidem tantum quæ magnæ ſunt, pelagiæ nuncupentur ex Ariſtotele. Deinde Plinius purpurarum generum nomina exprimit, ſcilicet lutenſe, algenſe, tenienſe, calculoſum, & dialutenſe.

EX CAPITE XXXVIII.

Capi eas poſt canis ortum, aut ante uernum tempus utiliſsimum, quoniam cum fœtificauere, fluxos habent ſuccos) Ariſtoteles quinto de hiſtoria ſic: Capiuntur purpuræ tempore uerno, cum fauos extruunt. Caniculæ tempore nullæ ferè capiuntur. & paulò pòſt inquit: Cum fauificant purpuræ, tunc deterrimum habent florem. Ac modico uapore torreri) Vapor hic ſumitur pro calore. Plinius hoc libro: Capiuntur teſtudines multis quidem modis, ſed maximè euectæ in ſumma pelagi, aut meridiano tepore blandito, eminēte toto dorſo per tranquilla fluitantes: quæ uoluptas libere ſpirandi in tantum fallit oblitas ſui, ut ſolis uapore ſiccato cortice non queant mergi. itémque libro ſecundo: Molliri eis creditur ſolis uapor, geminatus ardore ſideris. & quintodecimo uolumine: Gleucino muſtum incoquitur uapore lento. Et ideo longinquæ fornacis cuniculo) Cuniculus pro uaporario fornacis hoc loco ſumitur. Decimo fermè die liquatis cortina) Cortina multa ſignificat, ſed hic accipitur

pro uaſe æreo, quod uulgo caldarium appellant, in quo uellera tingi ſolent. Plinius libro decimoſexto, ubi de pice loquitur: Hæc rurſus in cortinas æreas cõiecta, aceto ſpiſſatur. & libro triceſimoquarto: Ex ære factitauere & cortinas tripodum nomine delphicas, quoniam donis maximè Apollinis Delphici dicabantur. & libro triceſimoquinto: Fit etiã atramentũ apud infectores ex flore nigro, qui adhæreſcit æreis cortinis. & paulò pòſt. Alterum genus eius eſt in purpurarijs officinis innatans cortinis, & eſt purpuræ ſpuma. Vellus elutriatum mergitur in experimentum) Ipſe potius legerem uellus elutatum, hoc eſt luto & ſordibus depurgatum, uel quod prius aquam foris tranſmiſerit. nam elutriatũ dicitur ab elutriare, hòc eſt de uaſe in uas transferre, quod latine quanquã rarius dicimus tranſuaſare. Quoniam fucũ remittit) Fucum id eſt colorem. ſed & fucus animal inſecti generis eſt, quod inter apes degit, ſine aculeo, api ſimile, ſed nigrius. Amethyſti color) Nomen accepit à colore gemmæ quæ dicitur Amethyſtus. At tyrius pelagio primum ſatiatur immatura uiridiq; cortina) Quid uelit modo Plinius ſignificare per cortinam, haud ſatis intelligo: uerùm ſi diuinare fas eſt, quoniam dixit immatura uiridiq́;, plantam aut certè fructum intellexiſſe arbitror. Plinius enim libro uigeſimoſecundo inquit, Tranſalpina Gallia herbis tyrium atq; conchylium tingit, omnesq́; alios colores: nec quærit in profundis murices. quid igitur ſi legeretur immaturo uiridiq́; cotino? Eſt enim cotinus ex ipſo Plinio libro decimoſexto in Apẽnino frutex ad liniamenta modo, conchylij colore inſignis, quem non oleaſtrum, ſed oleaſtellum, & oleam cilibricam à Columella nominari putant, cuius & Dioſcorides in Chamælea meminit. oleaſtrum uero etſi cotinon Græci uocant, Phocion quandoq; dici Phauliam exiſtimat. certè phaulia oliuæ genus eſt Columellæ, Plinio, Græcis omnibus. Eſt & granẽ herba quod chortinon appellant, ex eodem Plinio decimoquinto uolumine. cytino quoq;, hoc eſt flore ſatiuæ punicæ legi poſſe monuiſſem, ni Plinius ipſe cæteris authoribus aduerſari uideretur. nã flores in cytino erumpentes tingendis ueſtibus balauſtia appellauit, & pomum ipſum immaturum & primum partum eius cytinon, cum Dioſcorides, Galenus, & Paulus cytinon in ſatiua, & balauſtium in ſylueſtri punica florem appellauerint.

EX CAPITE XXXIX.

Sed Romulo in trabea) Trabea ueſtis erat regia, auro & purpura intexta, qua ſoli reges & augures utebantur. Virgilius,

Ipſe quirinali lituo paruaq́; ſedebat Succinctus trabea, læuaq́; ancile gerebat.

Nam toga prætexta) Prætexta genus togæ erat cui purpura prætexebatur, quæ à uirili diſtinguebatur: quoniam prætexta duntaxat adoleſcentes utebantur, ferè uſq; ad ſextumdecimum annum, deinde uirilem togam ſumebant. Seneca: Quãtum credis me accepiſſe gaudij, cum depoſita prætexta ſumpſiſti uirilem togam? Et Cicero: Ego autẽ à patre ita eram deductus ad Scæuolam ſumpta uirili toga, ut quoad poſſem & liceret, à ſenis latere nunquã diſcederem. Et latiore clauo) Clauus ueſtimẽti genus erat uelut quibuſdam clauis aureis diſtinctum, ut hinc fortè ueſtis quædam nunc de brocato auro dicta ſit: quod & à plumarũ ſimilitudine plumatile uocabatur, & à uerrucis clauo ſimilibus uerrucata ueſtis. uerùm ſi latius erat, latus clauus dicebatur. hoc ſoli ſenatores ac patricij induebantur. aliquando etiã ſacerdotibus ac pontificibus dabatur. Silius, Sacrificam lato ueſtem diſtinguere clauo. Hinc laticlaui dicebãtur patricij. Sunt & clauatæ ueſtes, quæ ſi non ex auro, ex cocco tamen

aut

aut alijs coloribus clauos & uerrucas habeant. Lampridius in Alexandro : *Conuiuium neq; opimum neq; nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit, ita tamen ut pura mantilia mitterentur, ſæpius cocco clauata, aurata uero nunquam.* Violacea purpura uigebat) *ſcilicet ianthina. Nam purpura in uiolæ colorem tendens, uiolacea, hoc eſt ianthina dicitur à uiola illa ſylueſtri & humili quæ nunc uiola clauda uocitatur, in opacis & macris locis uerno tempore ſponte proueniente, folio rotundo hederæ terreſtri atq; aſſaro ſimillimo, cauliculo ſtatim ab radice exeunte: & in eo floſculus odoris præcipui colore purpureo, quem uiolaceũ appellant: ſemine minuto in uaſculo rotundo : quæ græco nomine à cæteris diſcernitur, appellata ion, ut ab hoc ianthina ueſtis, & ianthinus color, id eſt, ut nunc etiam uiolaceus appellatur.* Cum enim Ion Græci dicunt, *uiolam purpuream intelligunt, de qua* Plinius & Dioſcorides. *huius nos tria genera uidimus, unum flore purpureo, ſicuti modo deſcripſimus. alterum flore candido: tertium flore coloris item eiuſmodi ut primum genus, uerum pleniore, & multifolio, ob id* Daſypodion Græci *uocant. naſcitur* Conſtantinopoli, *quod* Venetias *inde tulimus. Sunt & alia uiolarum genera, ut leucoion, quod etſi uiolam albam ipſo nomine ſignificat, tamen & pro lutea & purpurea capitur, ex* Plinio & Dioſcoride. Hinc apud Columellã:

Candida leucoia, & flauentia lumina calthæ, ad differentiã *cæterarum, uidelicet purpurearum & lutearum, uel nigri leucoij.* Hippocrates *enim, nigra, inquit, leucoia quærãtur.* Dioſcorides *uerò iјs quoq; ceruleam addidit, quanquam nonnulli uerbum ſuppoſititiũ opinãtur ex uetuſtis codicibus. & ſanè* Plinius *lib. 21. ubi de uiolis ſatiuis loquitur, ſcilicet purpurea, lutea, & alba, quæ græcè leucoia dicuntur, nullam de cerulea mentionẽ fecit.* Item Paulus Aegneta, *Ioton inquit oleũ, hoc eſt uiolaceũ, modo ex purpureis, modo ex cãdidis, modo ex luteis confici ſolere uiolis.* Theophraſtus *autẽ non luteam, non purpuream, nec ceruleam, ſed leucoion tantũ, hoc eſt uiolam albã, quã in cæteros colores uariari ſexto de hiſtoria teſtatur. ita nanq; eam deſcripſit, ſicuti ex pleriſq; locis excerpſimus. uiola alba florũ prima ſe oſtẽdit. emicat ubi cælum clementius ſtatim, etiã non hyeme exacta. ubi uero immitius, poſtea. celeriter euaneſcit. amara maleq; olida in uetuſtate redditur, nec ſicuti roſa ſuũ odorẽ etiã ſicca conſeruat, nec locis admodũ ſitientibus atq; tenuibus odorata conſiſtit, nec ubi cælum uehementer feruidum eſt: quia extra modum ſiccatur. in caule foliata, radice ferè ad ſimilitudinem bulbi orbiculata.* Ego *quoq; in opinionem eorum deſcẽdiſſem, qui leucoia à* Theophraſto, Plinio & Dioſcoride *tradita uiolas eſſe credunt, quas nunc uiolas albas, purpureas & luteas appellamus, radicem longam, ramoſam, lignoſamq; habentes, ni* Theophraſti *uerba prorſus aduerſari uiderentur, quòd leucoia radicem habere orbiculatam tradiderit. ait enim ſeptimo de hiſtoria plantarum:* Plura *autem genera eſſe bulborum nimirum conſtat. differũt nanq; inter ſeſe magnitudine, colore, figura, ſapore : quippe cum adeo dulces quibuſdam in locis exeant, ut uel crudi mandi facillime poßint, ut in* Cherroneſo Taurica. *ſed maxima peculiariſq; præcipuè differentia lanigerarum herbarum adnotatur.* Eſt *enim genus quoddam eiuſmodi littoribus naſcens, lanamq; ſub primis tunicis habens, ut inter internum quod manditur, & externum media iſta conculcetur. texuntur ex ea & togæ & alia ueſtimenta, qua de cauſſa lanatum id conſtare putaueris, non modo illius indici crinitum. quin & bulboſa plura, nec iјs pauciora notare licet, exempli gratia leucoion, bulbinam, opitionem, cyicem & ſiſyrinchium quodam modo, quæ quidem redigi ad bulborum genus deſiderant, quod radice*

orbiculentur. nam colore quidem penitus diſcrepant. candent enim, nec ſquamis conſtant. Peculiare ſiſyrinchio datum eſt, ut una radix primò augeatur hyeme, tum ineunte uere quod in imo excreuerit, contrahatur, ſupernúmque creſcat quod manditur. atque hæc differentias ſortiri eiuſmodi conſtat. hæc ille. unde eſt ut mihi facile perſuadeam, quas nunc uiolas uocamus, non eſſe leucoia, quæ ab antiquis ſcriptoribus tradita ſunt, ſed eas potius eſſe contenderem, quas Latini uiolas ſimpliciter appellant, à Theophraſto ia, & ionias inter ſatiuas & ſuffrutices appellatas, quæ quidem uerius uiolæ matronales, quàm leucoia à Theodoro interpretarentur, quòd eas matronæ colere ſoleant: licet in Dioſcoride, ubi de leucoio pertractat, uerba ſcilicet, Alij uiolam matronalem, ſint addititiè poſita. non enim hæc in uetuſtis codicibus leguntur. Argumento (ut ad rem redeam) quòd hæ uiolæ non plantis ut olus, cuiuſmodi ex Plinio leucoia ſeruntur, uerùm ſemine proueniunt, ex Theophraſto ſexto de hiſtoria plantarum, ubi de plantis bulboſis loquitur. ſic enim de uiola ſimpliciter dicta meminit: Radix croci multa, carnoſa, in totúmque uiuax, gaudet calcari, & melius ita euadit radice attrita pede inferius, ideo iuxta ſemitas fontéſque pulcherrimum exit. ſatus radice fieri aſſolet. Hæc in hunc modum proueniunt. Reliqui autem omnes prædicti flores ſemine exeunt, ut uiola, Iouis flos, phyum, flammula, hemerocalles. nam & ipſa, & eorum radices ligno nimirum conſtant. quod ſanè uerißimum eſt. huiuſmodi nanque uiolarum genus & caule & radice lignoſa conſtat, ſemineq; prouenit. ubi notandum, Theophraſtum hemerocallem inter plantas lignoſam radicem habentes enumeraſſe, cuius radicem Plinius & Dioſcorides bulboſam fecere. Quare Marcellus qui in Dioſcoride ubi de leucoio pertractat, addidit, Alij ſimpliciter uiolam appellant: confundit leucoion, cuius radix bulboſa eſt, cum uiola ſimpliciter dicta lignoſam radicem habente: quod cæteri interpretes ipſo peritiores non fecerunt. Nec uideo quamobrem leucoion Dioſcoridis in ceruleam quoque uariari non poßit, cum leucoij genus latè quondam patuerit. nam & nigra leucoia apud Hippocratem legimus, & nos quoque flores ceruleos in ramulis folioſis & bulboſa radice prodeuntibus complures in oriente conſpeximus. Diſtat autem uiola nigra, quæ melanion græcè dicitur, à uiola alba, tum aliorũ quorundam, tum plantæ ratione ipſius, quòd latifolia, humilifolia, carnifolia extet, ramulis careat, foliaq; ab radice habeat perpetuo uirentia, in flore alterum florem inſidentem medium gerens, ut bini flores eſſe uideantur, aßiduè & per annum durans ſi cultus adhibeatur, radice ex Theophraſto capitata. Inquit enim ſexto de caußis plantarũ: Viola nigra & crocum, neq; multum alimenti deſiderant, & ſatis ex ſeſe habent. ſunt enim capitata. ubi per radicem capitatã intelligit, q radicẽ ferè bulboſam, quæ in caput excreuerit, ad ſimilitudinem croci, allij, porríue habeat. ſic enim Theophraſtus de allio ſeptimo de hiſtoria tradit: radice allium ſeritur, & cepe, & bulbus & arrus, & in plenum quæ in capitatorũ genere eiuſmodi ſint. & paulò infra, porrum, inquit, ſubtus ſuo latere promit ueluti quoddam caput bulbaceum. Itemq;: omnia ergo, inquit, capitata radice ſiuacia maiorem in modum ſunt, ſed præcipuè ſcilla, utpote quæ ſuſpenſa uiuere poßit, & quidem plurimum temporis. & ſexto de caußis plantarum: Scilla, bulbus, denique omnia quæ radice ſunt capitata, contra partem ſuperiorem tenuem imbecillémque, radices amplas carnoſasq; gerunt. cum igitur melanion, hoc eſt uiola nigra, radicem uti probauimus habeat capitatam, non eadem erit cum uiola purpurea, quã Dioſcorides Ion porphyrion, ut diximus, appellauit,

nit, radice exigua & gracili. ex quo facilè coarguitur Marcellus Dioſcoridis interpres. Nã ubi Dioſcorides Ion porphyrion rectè ſcripſerat, ipſe ion melan falſiſſimè caſtigauit, deceptus uerborum deſcriptionis ſimilitudine, quæ Plinius de uiola purpurea retulit, ſcilicet, Ex ijs uero uiolis, quæ ſpontè opacis & macris locis proueniunt, purpureæ latiore folio ſtatim ab radice carnoſo exeunt, ſoleq; græco nomine à cæteris diſcernuntur, appellata Ia, ut ab his ianthina ueſtis: quæ ferè conuenit cum uiola nigra, præterquam in radice. Item quia in Theophraſto ſexto de hiſtoria legerat, uiolam nigram differre ab alba, quòd radice multa cohæreat. ubi per radicem multam cohærentem Theophraſtus non radicem capillamentis numeroſam, ut Marcellus exiſtimauit, ſed multis bulbis ſeu capitibus croci modo coaceruatam intellexit. quod idem etiam de croco mox ſubdidiſſe uidetur. Crocum, inquit, natura herbaceum, modo prædictorum erumpit, ſed folio anguſto, ferè nanque in capillamenti modum foliatur: ſero floret, ſero germinat, aut prælmaturè, utro ſcilicet modo tempus acceperis. floret quippe Vergiliarum occaſu, pauciſque diebus, confeſtim uerò cum folio florem quoq; expellit, quinimò prius. radix multa, carnoſa, in totúmque uiuax. hæc ille. Conſtat igitur radicem habere non exiguam, ut ion porphyrion, ſed multam & capitatam, hoc eſt multis capitibus bulbaceis coaceruatã. nam ſi exiguam & gracilem, ut ion porphyrion haberet, Theophraſtus non dixiſſet, neque multum alimenti deſiderat, & ſatis ex ſeſe habet: eſt enim capitata. nam de ijs quæ radice numeroſa cohærent, multo indigere alimento, quinto de cauſſis plantarum dixit. Illud quoque indicium affero, quòd Dioſcorides alibi etiam ion porphyrion, non ion melan, hanc uiolam appellauerit. nam capite de moly, florẽ dixit habere uiolæ albæ, lactei coloris, ſed minorem, & amplitudine potius uiolæ purpureæ, non autem nigræ. quod nec ipſe immemor Marcellus mutauit. Plinius quoque libro uigeſimoprimo, uno & eodem loco, ubi de uiola purpurea loquitur, mox ſequitur de melanio tanquam diuerſo genere à purpurea. inquit enim, florum prima uer initiantium uiola alba, tepidioribus ferè locis etiã hyeme emicat: poſtea quæ appellatur purpurea, proximè flammea, quæ & phlox uocatur, ſylueſtris duntaxat. Codiaminon bis anno uere & autumno, æſtates hyemé ſque fugit. Seriores ſupradictis aliquanto Narciſſus & lilium trans maria, & in Italia quidem, ut diximus, poſt roſam. nam in Græcia tardius etiamnum anemone. Eſt autem hæc ſylueſtrium bulborum flos, aliáque quàm quæ dicitur in medicinis. Sequitur œnanthe, melanion, ex ſylueſtribus heliochryſos. quæ omnia Plinius à Theophraſto libro ſexto de hiſtoria mutuatur, ex quibus uerbis comprehenditur, melanion ſine dubio genus eſſe diuerſum à uiola purpurea, quanquam & ipſum purpureum colorem obtineat ex Virgilij quarto Georg. carmine,

Funduntur, uiolæ ſublucet purpura nigræ. Nam per ea quæ Plinius dixit, ſequitur œnanthen, melanion & heliochryſon florere poſt uiolam albam, purpureã, flammeam, codiaminon, narciſſum, & lilium trans maria. Item Theophraſtus ibidem ſexto de hiſtoria, Sequitur, inquit, œnanthe & melanion, & è ſylueſtribus heliochryſos. ex quibus uerbis uidetur quaſi œnanthe & melanion ſint ex urbanis, non ex ſylueſtribus, ut heliochryſos, indicare. nec dici poteſt quòd per purpureã uiolam Plinius intellexerit eam quæ leucoion græcè dicitur, cum iam dixerit, Florũ prima uer initiãtium uiola alba, hoc eſt leucoion, quod in albam, purpuream, luteam & ceruleam uti oſtendimus, uariatur, hæc omnia ſimul complectens genera. Item ſi ion melan eſſet uiola purpurea, cum & melanion nuncupetur, mentitus utiq; fuiſſet

Plinius, dicens quòd uiolæ purpureæ ſolæ græco nomine à cæteris diſcernũtur, appellata ia. Non enim porphyrion hæc nomine compoſito ut leucoion, xanthonion, melanion, phlogion, ſed ion tantum uocatur, ut poſt ion ſequatur porphyrion ſeparatim, ut porphyrion adiectiuum, quod ſignificat purpureum, diſcernatur ab io, quod nec aſſiduè per annum durat, etiam ſi cultus adhibeatur. non enim æſtate floret, nec in flore alterum florem inſidentem gerit, etſi Marcellus fingat, ut de melanio teſtatur Theophraſtus. Nec ueriſimile eſt, Dioſcoridem uiolam eam purpuream nigram appellaſſe, cum non modo purpureæ, uerum & cãdidæ, uti retulimus, ex hoc genere conſpiciantur. Videntur & aliæ eiuſdem generis eſſe. ſunt enim his haud certè diſsimiles folio initio rotundo, ſerrato per ambitum, proceſſu oblongiore, cauliculo geniculato, flore ſuperiori parte purpureo, inferiori uerò cãdido, in medio luteo, radijs quibuſdam nigris diſtincto. Miror etiam Marcellum non addidiſſe, uti homo licentioſiſsime ſolitus eſt facere, Romani uiolam nigram, de qua Virgilius in Bucolicis:

Et nigræ uiolæ ſunt, & uacinia nigra. Sed prudentius utique feciſſet, ſi Dioſcoridis uerba non permutaſſet, & ſententiam ſuam in commentarijs, ut Hermolaus fecit, alijs diiudicandam reliquiſſet. Rubra tarentina) Veſtis tarẽtina appellabatur, quòd ex nobiliſsimo uellere tarentino contexta eſſet. nam pecus & uellus tarentinũ, ut libro octauo teſtatur Plinius, ſummam nobilitatem habebat, fortaſsis quòd mollitia cæteris antecelleret. unde quidam Tarentum appellatum putant quòd nuces iuglandes & pineas, ut inquit Plinius, molles habeat, ac ſimiliter oues, quæ ut author eſt Macrobius, ſunt tarentinæ à Tarento, quod eſt Sabinorum lingua molle. ad quod alludens Horatius ſcripſit: Et molle Tarentum. Vellus autẽ tarentinum (ut author eſt Plinius) fului coloris erat. Dibapha tyria) Dibapha tyria appellabatur ueſtis, ut ait Plinius, quæ bis tincta purpura eſſet, ueluti magnifico impendio. Reprehenſus eſt Lentulus Spinther ædilis curulis, quòd primus hoc genere in prætexta uſus fuiſſet. Triclinaria facit) Triclinaria, id eſt, quæ ad triclinium pertinent, ut mappæ triclinares, & lecti triclinarij, & huiuſmodi. erat enim locus in quo diſcumbebant & cœnabãt, præcipuè in conuiuium accepti, à tribus lectis quos ſternebant cõtiguis. nam treis menſas in conuiuio apponere ueteres ſolebant, & iacendo cœnare. In conchyliata ueſte cætera eadem ſine buccino) Si uolumus exponere, uti certè aliqui exponunt, conchyliata ueſte, id eſt tincta murice, erit cõtradictio in uerbis Plinij. nam ſi uerum eſt quod ſupra ex uerbis Ariſtotelis & Plinij inuicem collatis oſtendimus, hoc eſt Plinium cerycem modo muricem, modo buccinum conuertiſſe, ac propterea buccinum eſſe, qui ceryx, murex & cõchylium appellatur, cum duo præſertim concharum dixerit eſſe genera, quæ tingẽdis ueſtibus uſui eſſent, uidelicet buccinum minor concha, & purpura: quo pacto uerba hæc, ſcilicet cõchyliata ueſte: exponi poterunt tincta murice, ſiue buccino, cum buccinum & murex, uti retulimus, eadem eſſe conſtet? neceſſe igitur erit uel negare coniecturam noſtram Ariſtotelis fundamentis ſuperius roboratam: uel dicere, quod uerba conchyliata ueſte, hoc loco non ſignificent tincta murice, ſed ipſo conchylio, ut conchylium ſit concharum genus diuerſum à murice ſiue buccino. Plinius triceſimoſecundo uolumine inquit, muricum uel conchyliorum teſtæ cinis maculas in facie mulierum purgat cum melle illitus. ut ſit ſenſus: cinis teſtæ earum concharũ quæ murices, uel earum quæ conchylia appellantur, maculas in facie mulierum purgat. ſicuti etiã inferius eodem triceſimoſecundo libro muricem à purpura diſtinxit his uerbis: muricum, uel purpurarum

purpurarum

purpurarum cinis utroq; modo &c. Etiam ſi Plinius hoc libro nono, uti retulimus, duo conchdarum genera tingendis ueſtibus uſui eſſe dixerit. ſi quis tamen aptius expoſuerit, continuo parati erimus mutare ſententiam.

EX CAPITE XL.

Argentum auro confundere, ut electra fiant) Electrum capitur hoc loco pro mixtura quadã auri & argẽti. Plinius lib. triceſimotertio ubi loquitur de ratione naturali inueniendi auri: Fit, inquit, & cura electrum argento addito. quod ſi quintã portionem exceſſit, incudibus non reſiſtit. & electro authoritas Homero *teſte, qui* Menelai *regiam auro, electro, argento, ebore fulgere tradit.* Mineruæ *templũ habet* Lindos *inſulæ* Rhodiorũ, *in quo* Helena *ſacrauit calicem ex electro. Adijcit hiſtoria, mãmæ ſuæ menſura. Electri natura eſt, ad lucernarum lumina clarius argento ſplẽdere. Strabo libro de ſitu orbis tertio:* Ex auro, inquit, ex*cocto, & tenaci quadam creta repurgato, purgamentum electrum eſt. rurſus hoc excoquitur commixtionẽ auri atq; argenti habens: argentum quidem exuritur, cæterũ aurum ipſum remanet. & electrum eſt naturale metallum ex Plinio ipſo præallegato loco ubi ait: omni auro ineſt argentũ uario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte. In uno tantum Galliæ metallo quod uocãt* Albicrarenſe, *trigeſimaſexta portio inuenitur. ideo cæteris præeſt.* Vbi*cunq; quinta argenti portio eſt, electrum uocatur. Scrobes eæ reperiuntur in* Canalienſi. *Eſt & tertiũ electrũ, gummi, ſiue lachrymæ ſuccinæ genus, ex arboribus pinei generis profluens, quod ex Plinio lib.* 37. *in inſulis ſeptentrionalis oceani gignitur, & à Germanis appellatur* Gleſſum. *itaq; & à noſtris unam inſularũ ob id Gleſſariam appellatam, Germanico* Cæſare *ibi claſſibus rem gerente, Auſtrauiam à barbaris dictam. naſcitur autem defluente medulla pinei generis arboribus, ut gummi in ceraſis, reſina in pineis. erumpit humoris abundantia, denſatur rigore uel tepore autumnali. cum intumeſcẽs æſtus rapuit, ex inſulis certe in litora expellitur, ita uolubile, ut pendere uideatur, atq; cõſidere in uado, quod arboris ſuccum eſſe priſci noſtri credidere, ob id ſuccinum appellantes. Pineæ autem arboris eſſe indicio eſt pineus in attritu odor, & quòd accenſum tedæ modo ac nidore flagret. Naſci & in India certum eſt.* Archelaus *qui regnauit in* Cappadocia, *illinc cortice inhærente tradit aduehi rude, polirió; adipe ſuis lactentis incoctum. Liquidum primò deſtillare argumento ſunt quædam intus translucentia, ut formicæ aut culices lacertæq;, quas adhæſiſſe muſtro non eſt dubiũ, & incluſas indureſcenti. genera eius plura, candida odoris præſtantiſſimi. ſed nec his nec cereis precium. fuluis maior authoritas, ex ijs etiamnum amplior translucentibus, præterq̃ ſi nimio ardore flagrent: imaginemq; igneam ineſſe, non ignem placet. Summa laus falernis, à uini colore dictis, molli fulgore perſpicuis. Sunt & in quibus decocti mellis lenitas placeat. Verũ hoc quoq; notum fieri oportet, quocunq; modo tingi libeat, hœdorũ ſeuo & anchuſæ radice, quippe etiã conchylio inficiuntur. cæterùm attritu digitorum attrahunt in ſe paleas & folia arida, ut magnes lapis ferrum. Ramenta quoq; ſuccini oleo addito flagrant dilucidius diutiusq; q̃ lini medulla. Dioſcorides quoq; tradit, quod certè Plinius falſum exiſtimat, iuxta* Eridanum *amnem è populis deſtillare lachrymã narrari, quæ denſando in ſpiſſitudinẽ coeat, & uocetur electrum, ab aliquibus uerò chryſophorum, ex attritu odoratum, colore auroſo, qui & alibi pterygophoron appellauit, quod ſtramenta, floccos atq; fimbrias in ſe traheret.* Calliſtratus *certè nouam huic differentiam attulit, appellando chryſelectrum, quaſi coloris*

aurei, & matutino gratiſsimi aſpectus, rapaciſsimum ignium, & ſi iuxta fuerint, celerrime ardeſcens. tale electrum nunc ambram uocitamus, diuerſum tamen ab eo quod ambram ſiue ambar caninũ cognominant, Aetius ambar, quod Hermolaus barbarus ſuccinum orientale primus nominauit, incompertum ueteribus, ut ipſe exiſtimat, multis loci: ſcaturiens bituminis & ſulphuris modo. Diſcrimen eius triplex. Ruffum & pingue præferũt, ſelachiticũ à municipio quodam pridie uocatum, ubi naſcitur. Subalbidum ex Arabia felici minus probatur è maritimo quodã oppido, cui Sechra nomen eſt. deterrimũ nigreſcit, quod piſces deuorauere.

Addere his æra, ut corinthia) Plinius lib. 37. ubi de electro loquitur: Taxatio, inquit, in delicijs tanta, ut hominis quãuis parua effigies uiuorum hominũ uigentiumq́; precia ſuperet prorſus ut caſtigatio una non ſit ſatis. In Corinthijs æs placet auro argentoq́; mixtum, in cælatis ars & ingenia &c. Inquit ergo quòd ſicut argentũ auro confundebant ut electra fierent, ita argento & auro addebant æra, ut corinthia uaſa fierent. nam æs corinthiũ maximè laudatur, cuius genera tria eſſe tradidit idem author. 34. uolumine: Candidum argẽto nitore q̃ proximè accedens, in quo illa mixtura præualuit: alterũ in quo auri fulua natura: tertium in quo æqualis omniũ temperies fuit. uaſa igitur ex ære corinthio auro argentoq́; permixto Corinthia appellabantur. unde factũ eſt ut omnia uaſa ex ære elegantia, corinthia ſint appellata. propter quæ apud ueteres tanto in pretio fuerunt æris metalla, ut argẽti quoq; atq; auri preciũ tranſcenderint. Quippe lucernæ, cãdelabra, ſalina, trullæq́; ex ære fiebant: quin etiam ſtatuæ, columnæ, limina, & ualuæ in templis, ut etiã in æde diui Marci nunc habemus. Scribit etiam Plinius ipſe, Sp. Caruilium olim Camillo pro crimine obieciſſe, quòd oſtia ærata haberet in domo. & Romæ porticũ duplicem à Cn. Octauio qui de Perſeo rege triũphauit, ad circum flaminium factam appellatã fuiſſe corinthiam, à capitulis æreis columnarum. In tantumq́; proceſsit æris corinthij authoritas, ut Verrem quem Cicero damnauerat, non alia de cauſſa proſcriptũ ab Antonio fuiſſe tradatur, q̃ quòd Corinthijs ſe ei ceſſurũ negauiſſet.

EX CAPITE XLI.

Non eſt ſatis abſtuliſſe nomen gemmæ amethyſtum, rurſum abſolutus inebriatur Tyrio) Color purpuræ tendens ad uiolam Amethyſtus appellatur, qui abſolutus cũ rurſus inebrietur tyrio, tunc Tyriamethyſtus dicitur, ſimulq́; luxuria duplex: qui quidem color ab Amethyſto gemma nomen aſſumpſit. cuius fulgor ille emicans uiolaceus eſt ad ſimilitudinem eius uiolæ, quam purpuream ſiue ianthinam appellauimus. Plinius libro uigeſimoprimo: Luxuria ueſtibus quoque prouocauit eos flores, qui colore commendantur. Hos animaduerto tres eſſe principales, unum in cocco, qui in roſis micat: gratius nihil traditur aſpectu, & in purpuras tyrias dibaphasq́; ac laconicas. Alium in amethyſto, qui in uiola, & ipſe in purpureum quemq́; ianthinũ appellauimus. Amethyſtus autẽ, qui & Amethyſus dicitur ex Theophraſto, gemma eſt cuius genera plura traduntur à Plinio lib. trieeſimoſeptimo. inquit enim: principatum Amethyſti indicæ tenent. ſed in Arabiæ quoq; parte quæ finitima Syriæ Petrea uocatur, & in Armenia minore, & in Aegypto, & in Galatia reperiũtur. ſordidiſsimæ autem atq; uiliſsimæ in Tharſo & Cypro. cauſſam nominis afferunt, quòd uſq; ad uini colorẽ accedens priuſquam eum deguſtet, in uiolam deſinit: fulgorq́; quidam in illa purpuræ nõ ex toto igneus, ſed in uini colorem deficiens. Perlucent autem omnes uiolaceo colore, ſcalpturis faciles. Indicæ abſolutum purpuræ colorem habent: ad hancq́; tingentium officinæ dirigunt uota.

nota.fundit autem eum aſpectu leniter blandum,neq; in oculos,ut carbunculi,uibrat. Alterũ earum genus deſcendit ad hyacinthos.hunc colorem Indi Sacon uocant,talem gemmam Sacodion.Dilutior uerò ex eodem ſapinos uocatur,eadem & paranites in contermino gentis Arabiæ.quartũ genus colorem uini habet:quintum ad uicinam cryſtalli deſcendit albicante purpuræ deiectu.hoc & minime probatur:quãdò præcellens debet eſſe in ſuſpectu uelut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leuiter roſeus nitor. Tales aliqui malunt pæderotas,hoc eſt puerorũ amores uocari.alij anterotas,id eſt mutuos amores:multi Veneris gemmam:quod maximè uidetur decere & ſpecie,& colore extremo gemmæ. Magorũ uanitas reſiſtere ebrietati eas promittit,& inde appellatas.Multum ab ea diſtat hyacinthos, tamen è uicino deſcendens.Differentia hæc,q. ille emicãs in amethyſto fulgor uiolaceus, dilutus eſt in hyacintho.primo quoq; aſpectu gratus,euaneſcit antequam ſatiet:adeoq; nõ implet oculos,ut penè non attingat,marceſcens celerius nominis ſui flore. Hyacinthum autem florem, qualem Dioſcorides deſcribit,in hortis noſtris habemus,quem ex Thracia Venetias tulimus. folia habẽt bulbi protinus à radice,caulem dodrantalem leuem,tenuioremq; digito minimo, coloris herbacei,comam procumbentem incuruã,plenam florum olentiæ iucundiſſimæ, coloris cærulei aliquantulum ad purpuram inclinantis,primo aſpectu grati,deinde euaneſcentis antequã ſatiet,ſemine nigro coriandri magnitudine, radice bulboſa purpuranteq;.floret initio ueris cum uiola purpurea.Verùm quia poſſit aliquis cauillari, dicens hunc quem deſcripſimus florem,nõ eſſe hyacinthum,cum Dioſcorides hyacinthi florem non colorem cæruleum,ſed purpureum habere deſcripſerit,qui nec de odore quicquam meminerit: dicimus quòd Dioſcorides per purpureum uiolaceum intellexit,quippe cum & uiolam illam, quam Ion porphyrion Græci uocant,cuius colorem uiolaceum ſiue ianthinum uocari diximus,unà cum Plinio coloris purpurei eſſe deſcripſerit.nam & Plinius hyacinthi colorem uiolaceum dilutum uocauit,his quæ ſupra retulimus uerbis.Differt hyacinthus lapis ab Amethyſto, q. ille emicans in amethyſto fulgor uiolaceus dilutus eſt in hyacintho. primo quoque aſpectu gratus,euaneſcit antequam ſatiet:adeoq; non implet oculos,ut penè non attingat,marceſcẽs celerius nominis ſui flore.Quid enim aliud eſt uiolaceus color dilutus, quàm uiolaceus clarior & apertior,quem cæruleum appellamus?unde Columella in horto ſuo dixit:

Necnon uel niueos,uel cæruleos hyacinthos.

Solinus etiam hyacinthum lapidem cæruleo nitore fulgere tradidit, ut qui colorem cæli dixerunt hyacinthinum,de cæruleo uideantur accepiſſe. Odorem autem ineſſe hyacintho etſi Dioſcorides non meminerit,elici tamen coniectura poteſt ex uerbis Plinij:qui uigeſimoprimo uolumine inter odoratos flores ſic ait cap.ſeptimo:Troianis temporibus croco iam erat honos,& hos certe flores Homerus tres laudat,Loton,Crocon,Hyacinthum.Omniũ autem odoramentorũ atq; adeo herbarum differẽtia eſt in colore & odore & ſucco &c.ubi cum de his & alijs floribus odoratis finem tractandi impoſuiſſet,inquit: & de odoratis floribus ſatis dictũ.Hyacinthũ comitatur fabula duplex, luctũ præferens eius quẽ Apollo dilexerit, aut ex Aiacis cruore editi,ita diſcurrentibus uenis,ut græcarum literarũ figura legatur inſcripta.Pauſanias tamẽ florem qui natus ſit extincto Aiace,apud Salamina credi refert editum primo,nec hyacinthum,ſed literis Hyacintho ſimilem uideri ex candido rubentẽ,ac lilio minorem,quẽadmodum Ouidius,itemq; Virgilius deſcribere uidẽtur.Et Coſmoſandalon dici

florem apud Hermionenſes Trœzenijs *confines idem* Pauſanias *teſtatur, quem ipſe hyacinthum uidetur interpretari,& flore coronatos feſta quæ* Chthonia *uocant,agere.* De coſmoſandalis & Cratinus,& Clearchus.*ut nõ temere coniectare liceat,hyacinthũ florem ab hiſtoricis deſcriptũ diuerſum eſſe ab eo de quo* Poëtæ *fabulãtur.*Moueor *uerbis* Pauſaniæ, *dicentis florem qui natus ſit ex* Aiace *extincto,non hyacinthũ,ſed literis hyacintho ſimulẽ uideri.ut flos is ob hanc cauſſam ſiue ſimilitudinem literarũ,quam habet cum hyacintho flore hiſtoricorũ,qui cæruleus eſt,hyacinthus & ipſe appellatus ſit,ut hyacinthi duo genera eſſe uideãtur.nec uериſimile eſt,authores uni tantũ florũ generi tot colorũ uarietates aſſcripſiſſe, ut non parua etiam ob id inter authores ipſos confuſio eſſe uideatur.*Ouidius *decimo* Metamorph.*libro ſcribit hyacinthũ forma lilium imitari,coloremq; purpureum continere, in quo funeſtæ literæ illæ inſcriptæ ſunt,his carminibus:*

> Talia dum uero memorantur Apollinis ore,
> Ecce cruor qui fuſus humi ſignauerat herbas,
> Deſinit eſſe cruor,tyrioq; nitentior oſtro
> Flos oritur,formamq; capit quam lilia,ſi non
> Purpureus color his,argenteus eſſet in illis.
> Non ſatis hoc Phœbo eſt(is enim fuit author honoris)
> Ipſe ſuos gemitus folijs inſcribit,& αι αι
> Flos habet inſcriptum,funeſtaq; littera ducta eſt.

*Illud autẽ monuerim,quas in hyacintho literas appellant,ueras eſſe literas mihi non eſſe credendum,ſed potius notas quaſdam nigras.*Nam Plinius *libro decimooctauo, ubi de leguminibus loquitur,literas lugubres in flore etiam fabæ ex ſentẽtia* M.Varronis *reperiri tradit, in quo quidem flore non literas ullas,ſed nigras tantum notas inſpicies.* Virgilius *quoq;,* Et *ſuaue rubens hyacinthus,non cæruleum,ut alij authores,dixit.*Nam *rubens & cæruleũ colore inter ſe maximè diſcrepant.*Non *repeto deſcriptionem* Pauſaniæ *authoris grauiſſimi, cum nuper eam retulerim.Cum itaq; conſtet duplicem eſſe hyacinthum,alterũ rubentem,cum literis illis ſcriptis,qui à poëtis deſcribitur : alterum uerò cæruleum ſine literis ab hiſtoricis deſcriptũ:nam nihil* Dioſcorides *in ſuo hyacintho de literis cõmeminit: haud temere in* Virgilio *ferrugineos hyacinthos,cum ſint rubentes,non cæruleos,ſed rubentes ad ſimilitudinem ferruginis interpretarer:præſertim cum hyacinthus* Poëtarum,*non cæruleus,ſed rubens ſit, quemadmodũ* Virgilius & Pauſanias *deſcripſere.rubet enim color ferrugineus.*Plinius *item libro quintodecimo:*Grãdiſſimis,*inquit,pineis nucibus,altiſſimeq; à terra ſuſpenſis intus exiles nucleos lacunatis includit oris, ueſtitos alia ferruginis tunica.quæ ſanè tunica nõ cærulei, ſed ferruginei coloris eſſe perſpicitur.*Nonius *uerò qui non hyacinthum hunc,ſed illum fortè cæruleum tãtum nouerat,ferrugineos hyacinthos cæruleos interpretatus eſt.* Palladius *uerò neſcio quàm rectè hyacinthum irim ſiue gladiolum à ſimilitudine foliorum uocari tradiderit,cum* Dioſcoridis *hyacinthus folia habeat non iridis,neq; gladioli,ſed bulbacea,ac propemodum,ut planius dixerim,liliacea,& uinoſa,uerum ſtrictiora oblongioraq;,quæ nullam cũ iride atq; gladiolo ſimilitudinem habent.folia nanque iridis & gladioli potius arundinacea ex* Theophraſto *quàm bulbacea ſunt,quæ nec in radice conueniunt, cum ſit radix hyacintho bulboſa, iridi geniculata. Sed & hyacinthum uideo* Romanis Vacinium, Dioſcoridis

authoritate

authoritate uocari. Quare in Bucolico Maronis carmine:

Nonne fuit ſatius triſtes Amaryllidis iras
Atque ſuperba pati faſtidia? nonne Menalcam,
Quanuis ille niger, quanuis tu candidus eſſes?
O formoſe puer, nimium ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, uacinia nigra leguntur.

Hermolaus Barbarus per uacinia nigra hyacinthos interpretatur. Plinius enim, uacinia, inquit, aucupijs Italiæ ſeruntur: Galliæ uerò etiam purpureæ tingendis ſeruorum ueſtibus. Item libro uigeſimoſecundo, tranſalpina Gallia herbis tyrium atq; conchyliũ tingit, omnesq; alios colores. & libro uigeſimoprimo, hyacinthus, inquit, in Gallia eximiè prouenit, quo ibi pro cocco hyſginũ tingitur. Eſt autem hyſginus color à quo Græci ueſtes hyſginobaphes appellant, hoc tinctas colore. Nec obſtat quod nigra dicat poëta, quandò purpuream quoque uiolam eſt ubi authores nigram uocare ſoleant, præſertim poëta ipſe quarto Georgicorum hoc carmine: Funduntur, uiolæ ſublucet purpura nigræ.

Sed error eſt. nam ſi Virgilij ſenſus ſit, uti certe eſſe debet, ut alloquens dilectum puerum cohortetur eum ad amorem ſui, monens ne propter formam ſuperbiat, cum non omnia quæ candida, eadem dilecta, nec omnia quæ nigra & deformia, continuo aſpernanda ſunt: nam liguſtra decidunt, nec leguntur, & uacinia, quauis nigra & deformia, colliguntur: hyacinthũ florem tanquã deformem liguſtro minimè comparaſſet, cum ſit pulcherrimus, immo & ipſo liguſtro pulchrior: cum præcipuè uacinium aliud q̃ hyacinthum ſignificet, ut mox ex Plinij ſententia docebimus. Item uacinia ſi hyacinthos ſignificarent, ad quid rogo in aucupijs ſererentur? Ad hæc addimus, quòd in uetuſtis Dioſcoridis exemplaribus Græcis uerba illa, Romani bacum ſeu uacum, alij uacinium, non habentur: ſicut & in cæteris plantarum deſcriptionibus nullæ ferè aliæ nominum appellationes præterquàm græcæ inſertæ ſunt. Verùm nomina illa omnia tanquam addititia in margine annotata eſſe perſpiciuntur, ſicuti & in Sampſucho legitur, Romani meiuranam uocant, quod nuſquam legitur apud latinos. nam ſi Romani meiuranam uocaſſent, Plinius utique qui latinum nomen ſampſuchi mendicare uidetur, meiuranam à latinis appellari prodidiſſet: quemadmodum & in leucoio, uiolam matronalem, addititium & nouum uocabulum eſſe deprehendimus, ſicut & in pluribus alijs id factum uidetur: quod Dominicus Sennus Patauinus medicus inſignis, & in hoc ſtudiorum genere tempeſtate noſtra facilè princeps, me monuit. Seruius uerò per uacinia uiolas interpretari uidetur, quod neq; etiam probo. Nam ſi uacinia uiolæ ſunt, uiolæ erunt utiq; nigræ, quoniam uacinia appellauerit poëta nigra: quod tamen eſt falſum, cum Virgilius ipſe uacinia nigra à uiolis nigris apertè diſtinxerit in Bucolicis hoc carmine:

Et nigræ uiolæ ſunt, & uacinia nigra.

Eſt autẽ uiola nigra, quæ Theophraſto & Plinio, uti retulimus, melanion dicta eſt. uiola uero purpurea eſt, quã Dioſcorides ion porphyrion appellauit. Leonicenus per uacinia non uiolas, nec hyacinthos, nec arbores, ut aliqui arbitrantur, ſed acinos ſiue baccas ipſius liguſtri, quæ nigræ ſunt, intelligere uoluit, quaſi baccinia dixerit, quæ in Italia, ut inquit Plinius, aucupiorum gratia ſeruntur, & in Gallia purpureæ ad tingendas ſeruorum ueſtes, ut nunc quoq; Italiæ aliquibus in locis ex liguſtri acinis atramentũ ſcriptoriũ ſiue colorem nigrum

ruſtici ad tingendum conficiunt.nec obſtare quòd Plinius dixerit purpurea, quandò & ebuli acinos,qui nigri ſunt,ſanguineas baccas Virgilius in Bucolicis appellauerit hoc uerſu:

Sanguineis ebuli baccis,minioq; rubentem.

Vt ſit ſenſus,quòd Poëta alludens liguſtro puerum admonet,ne ſuæ pulchritudini atq; colori quanuis candido nimium confideret,quia cum ætate candidum colorem amittet, fietq; deformis,idq; ſibi eueniet quod liguſtro accidit.eius nanq; flores qui ſunt pulchri, candidi & odorati,cito pereunt,quia parū durāt, atq; ex arbore ipſa nil niſi acini ſeu uacinia illa colliguntur,quæ proceſſu temporis nigreſcunt,nec aſpectu quidem adeò ut flores grata.quod ſimili modo ſentire uiſus eſt Virgilius,uel quicunq; ille fuerit,ubi de roſa loquitur:

Collige uirgo roſas,dum flos nouus,& noua pubes,
Et memor eſto æuum ſic properare tuum.

His nanq; carminibus poëta uirgines hortatur ad uoluptatem percipiendam. ita enim pulchritudo & uirginum decus præterit, & breue tempus ſortitæ ſunt, ſicut roſa, quæ mane aperta,& uiuacitatem oſtendens,peracto die languida & fragilis, uero rubore deperdito apparet. Ouidius quoque de arte amandi:

Forma bonum fragile eſt,quantumq; accedit ad annos,
Fit minor,& ſpacio carpitur illa ſuo.
Nec ſemper uiolæ,nec ſemper lilia florent,
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.
Et tibi iam uenient cani formoſe capilli.
Iam uenient rugæ,quæ tibi corpus arent.

In quam quidem ſententiam ego quoque pedibus irem,quandò conſtaret acinos illos liguſtri purpureos eſſe: & colorem purpureum tingere, quemadmodum de uacinijs Vitruuius & Plinius teſtantur.Verùm enimuero,ſi meam quoque his addere ſententiam licet, dicam quòd ſi Virgilij & Plinij uerba diligentius perpēderis ac examinaueris,uacinia nigra nihil aliud quàm acinos,ſiue mora agreſtia illa nigra,quæ rubus ſentis profert,ſignificare facilè iudicaueris.nam Græci in hodiernum quoque diem mora illa agreſtia non ab re uacina, & uacinia cognominant, dicta à βάτου, hoc eſt rubo, cuius quidem genus quoddam eſſe conſtat βάτος κυνὸς ſiue κυνοσβάτος appellatum, hoc eſt ut Theodorus uertit in Theophraſto, canirubus,uel à βάπτω, quod eſt tingo. nam mora illa agreſtia colorem purpureum inficiunt. unde Plinius ſextodecimo uolumine cum de liguſtro arbore peregiſſet,Liguſtra inquiēs teſſeris utiliſſima:memor Virgiliani carminis mox ſubdidit,Item uacinia Italiæ in aucupijs ſata: Galliæ uerò & purpurea tingendi cauſſa ad ſeruorum ueſtes.ut per uacinia,non arbores, ut aliqui exiſtimant,ſed mora illa agreſtia rubi ſentis intelligas:ut ſit ſenſus, quòd ſicuti liguſtra teſſeris,ita & uacinia,id eſt mora illa agreſtia rubi,ſunt aucupijs utiliſſima.In aucupijs enim huiuſmodi rubi ſeruntur,ut ſenticeta & auiaria fiant, quibus aues edendi cauſſa mora illa agreſtia facilius allectentur. Virgilius:

Sanguineiſque inculta rubent auiaria baccis.

Et in Gallia etiam mora illa purpurea utiliſſima ſunt ad ueſtes ſeruorum cauſſa tingendas: cuiuſmodi & cotini ſiue oleaſtelli baccis ueſtes conchylij modo colore inſigni inficiūtur, ſicut & nunc ex ipſius rubi ebuliq; acinis ad coloranda uina ſuccum exprimunt. Eſt autem

rubus

rubus ſentis inter aquaticas frutices ex Plinio decimoſexto uolumine, quamuis arborem im-proprie appellauerit, quoniam & de ea, & de ſambuco arbore ſimul locutus eſt dicens: Inter aquaticas arbores ſunt & rubi, atq; ſambuci fungoſi generis. ne ſi frutices dixiſſet, ſambucum arborem excluſiſſet: quod ſimiliter fecit libro decimoſeptimo, rubum inter arbores enumerans. eſt tamen ubi rubum fruticem eſſe dixerit, ut libro decimoſexto: Non decidunt autem, inquit, folia & in fruticum genere quibuſdam, rubo, & calamo. Theophraſtus quoq; de hiſtoria plantarum uolumine primo, rubum inter frutices enumerat, inquiens, Arbor eſt, quod ab radice caudice ſimplici, ramoſum, nodoſum, ſurculoſum, haud facile diſſolubile aſſurgat, ceu olea, ficus, uitis. Frutex, quod ab radice caudice multiplici, ramoſumq; ſe attollit, ut rubus, paliurus &c. Fert autem rubus folia quina aut trina numero in pediculo, herbæ ferenti fraga ſimilia, floribus roſeis: in racemis fructus ueluti mora inter initia herbacea, mox purpurea, cum ematuruere, nigra, auibus quàm maximè grata, quæ uacinia (uti retulimus) appellantur. unde & Virgilius uacinia mollia, id eſt matura, & aſperitate carentia nuncupauit: quæ Plinius libro decimoſexto mora etiam appellauit: non quia ſint uere mora, nam mora ſunt ex moro arbore fructus, ſed ob ſimilitudinem quam habēt cum moris: quemadmodum & fructum pentaphylli, ſiue quinquefolij fragum uocauit, non quia pentaphyllũ fraga gigneret, ſed quoniã fructum ferret fragis ſimilem, quẽ, cum alio proprio nomine careret, ob ſimilitudinem quã habet cum fragis, fragum uocauit. Et certè pentaphyllum fructũ fert ex Dioſcoride. inquit enim in præfatione primi libri. nam qui pullulanti herbæ duntaxat adſtiterit, adultã cognoſcere non poteſt: neq; qui adultã tantũ inſpexerit, nuper erumpentem noſcet. Quo fit, ut propter mutatã foliorũ faciem, caulium proceritates, florũ ſeminiſq; magnitudinem, nonnulli qui olim has ætatũ uarietates non perſpexerunt, magno in errore uerſentur. Quæ cauſſa etiã nonnullis ſcriptoribus impoſuit, qui herbas quaſdam, uerbi gratia gramen, quinquefoliũ, & tuſſilaginem, emittere florem fructum & caulem negant. Ergo qui ſæpius ad uiſendas herbas, & earum loca ſe contulerit, earum cognitionem maximè conſequetur. ut Plinius à Leoniceni calumnia nunc liberatus appareat. nam libro etiam decimoquinto capite uigeſimoquarto fraga & unedones, ob ſimilitudinem fructuum congeneres appellauit. ſic itaque fructum pentaphylli, tanquam frago ſuo congeneri ſimilem fragum uocauit. Liguſtrum uerò (ut nihil quod equidem nouerim prætercam) arbor eſt parua, folijs oleæ ſimilibus, floribus paruulis, candidis & odoratis, racematim florentibus Maio menſe, ſeminibus initio uirentibus, proceſſu nigris, uuarum more congeſtis. in ſepibus & ſenticetis potiſſimum gignitur, naſſis & teſſeris utiliſſima. adhuc etiam in Italia aliquibus in locis liguſtrum appellant. Patauini uerò Conaſtellum, quaſi oleaſtellum dixerint. nam & folio & fructu ſimilis eſt. Marcellus autem Dioſcoridis interpres liguſtrum eandem eſſe arborem uoluit, quæ Græcis cypros uocetur, cum tamen prorſus diuerſa ſit. Argumento, quòd Dioſcorides cypron deſcripſit ſemine nigro ſambuco ſimili, peregrinámque arborem fecit, quemadmodum & Plinius libro duodecimo, cypros, inquiens, in Aegypto eſt arbor ziziphi folijs, ſemine coriandri &c. At quod liguſtrum uocatur, ſemen non coriãdro aut ſambucino acino, ſed potius lentiſco ſimile in racemis profert: nec arbor eſt peregrina, cũ ſponte ubique in Italia naſcatur. minus illud animaduertens, quod ipſum maximè ab hac ſententia diuerſum facere debuiſſet, quòd Dioſcorides ſtatim poſt cypron Philyriam quam ipſe Mar-

cellus uoluit eſſe tiliam, æqualis eſſe magnitudinis cum cypro deſcripſerit, noueritq́; tiliam arborem eſſe liguſtro proceriorem, multoq́; craßiorē, ad aſſeres ſutorios pro incidendis coriȷs, & (ut inquit Theophraſtus) ad fabricas nauium, arcarū & menſarum commodißimā. cuius uerba in quinto de hiſtoria hæc ſunt: Robur tam nauibus q̄ domibus commodum, necnon & in terra obrutum durat. Tilia foris nauium longarum & arcarum, menſarúmque fabricæ expetēda eſt. & nos quoq; tiliam uidimus tam uaſtam, quā uix terni cubiti circumplecterentur. Cum igitur cypros æqualis magnitudinis cū tilia tam uaſta arbore ſit, non erit eadem quam liguſtrum latini uocant. Eſt enim liguſtrum pollicis craßitudinis, decemq́; pedum altitudinis ad ſummum. Quamobrem Marcellus inſcitiæ accuſandus eſt, quippe qui in Dioſcoride ubi interpretari debebat: Cypros arbor eſt foliȷs oleæ, & reliqua: interpretatus eſt, Cyprum Romani liguſtrum dicunt. quod falſum eſt, tum rationibus antedictis, tum quòd id nullis græcis codicibus legitur. Eſt enim interpretis imperiti, ne dicam audacis, authorem quem interpretatur, facere mentientem, quod Hermolaus noſter non fecit. Et quando inquit Plinius libro uigeſimoquarto, Liguſtrum eadem arbor eſt quæ in oriente Cypros, intelligendum, eadem arbor eſt in Italia, quæ in oriente cypros, quo ad ſimilitudinem. nam ſi uoluiſſet cypron eſſe liguſtrum, non dixiſſet libro duodecimo: Cypros in Aegypto eſt arbor ziziphi foliȷs &c. cum paßim & ſponte, ut dictum eſt, in Italia liguſtrum naſcatur. ubi nec affirmauit cum dixit: Quidam cyprū eſſe dicunt arborem quæ in Italia liguſtrum uocetur. Sed nec philyrea tilia eſt, ut omnes ſunt hactenus affinitate nominis decepti, uno excepto Dominico Senno, uiro in hac ſimplicium facultate omnium peritißimo. Differunt enim inter ſe philyra & philyrea. philyra namq; eſt quam latini tiliam interpretantur, cuius duo habentur genera, mas ſcilicet & fœmina, ex Theophraſto de hiſtoria plantarum libro tertio. Diſtant inter ſe, inquit, tum materie, tum totius corporis forma, & quòd altera fructifera, altera ſterilis. nam materies mari dura, flaua, nodoſior ſpinoſiorq́;, fœminæ candidior: & cortex mari craßior, detractuſq́; inflexibilis propter duritiam eſt: fœminæ candidior flexibiliorq́;, ex quo cunas faciunt: item fœminæ odoratior. & mas ſterilis nulloq́; flore eſt, fœmina & florem & fructum gignit. Flos calycula intectus propter foliȷ pediculum amētumq́; futurum, pediculo annexus, uiridis dum in calycula eſt, detectus autem leuiter flauus, floret cum urbanis. fructus oblongus, orbiculatus, magnitudine fabæ, ſimilis hederæ acino, quinis angulis ueluti neruis eminentibus, inq́; acutum ſeſe contrahentibus partitus, qui ſcilicet mauſculus eſt, minutiuſculus autem confuſior conſtat. Cum ille mauſculus ſcabitur, paruula quædam ac prætenuia ſemina, quāta atriplicis, emittit. folium & cortex dulcia ſuauiaq́;. foliū forma hederaceum, niſi quod in angulum acutiorem rotundatur, & quanquam iuxta pediculum curuatius, tamen de medio in acutius coactum prætendit, ſeq́; prolixius protrahit, criſpum in orbem leuiter atq; ſerratum. medullam exiguam materies continet, nec multo reliquo molliorem corpore. nam & reliquum ligni molle eſt. quæ & Plinius magna ex parte retulit. Philyrea autem arbor eſt, ut Dioſcorides deſcribit, magnitudine qua cypros, foliȷs oleæ nigrioribus latioribúſque, fructu lentiſci, nigro, ſubdulci, uuarum modo congeſto, locis aſperis prouenit. folia huius adſtringunt eodem profectu, quo folia oleaſtri, ideo ad omnia quæ ſpiſſanda ſunt, pertinent. commanducata ulceribus oris infantium utilißime imponuntur. ad idem & decocto colluere ſalutare eſt. Pota urinam ciunt, ſanguinem menſium detrahunt. Qui autem philyream & philyram

philyram id eſt tiliam eandem eſſe arborem uolunt,aſsignent rogo apud quos legerint phi=lyram id eſt tiliam habere folia oleæ,& fructum ferre ſubdulcem ad ſimilitudinem lentiſci, uuarum more congeſtum,ſicuti nos legimus apud Theophraſtum, philyram ſiue tiliam ha=bere folia hederacea atque ſerrata,& florem dum eſt in calycula uiridem detectum, aut le=uiter flauum,& fructum non modo non ſubdulcem,ſed qui à nullo mandi poteſt, ex eodem authore alibi,& Plinio,hederæ acino ſimilẽ, quem corymbaceum potius quàm racemoſum dixeris. Quamobrem fateri neceſſe eſt,philyream non eſſe philyram,hoc eſt tiliam.immo quãdo etiam tilia ad eadem ad quæ oleaſter,ſicut philyrea utilis eſſet, & quòd philyrea & tilia deſcriptione inter ſe diſcreparent,ſicuti certe diſcrepant,philyrea non eſſet tilia. Verum cum deſcriptiones,uſus & remedia quæ de philyrea Dioſcorides,& de liguſtro Plinius tra didere,inter ſe plurimum conuenire præcipiatur, haud temere affirmauerim unà cum Do=minico Senno philyream Græcis uocari quam Latini liguſtrum appellant. Nam Plinius li=bro xxiiij.liguſtrum,inquit,eadem arbor eſt,quæ in oriente cypros.ſuos in Europa uſus ha=bet.ſuccus eius neruis,articulis, algoribus, folia ubique ueteri ulceri cum ſalis mica, & oris exulcerationibus proſunt.quæ de philyrea Dioſcorides retuliſſe etiam uidetur, & ualet ad ea quæ cypros & oleaſter,ceu ſuæ congeneres ex Plinio & Dioſcoride. Addo etiam quòd Dioſcorides ſtatim poſt cyprum philyream tanquam ſibi ſimilem atque congenerem ſubdi=dit pertractandam.ſunt enim eiuſdem magnitudinis & ſimilitudinis:hinc factum eſt, ut ali=qui eandem eſſe cum cypro exiſtimauerint.nec dubitandum eſt,Plinium ignoraſſe philyreã Græcis eſſe,quæ in Italia liguſtrum uocetur.Item ſi philyrea fuiſſet tilia, Dioſcorides quoq; eam inter marem & fœminam,ut Theophraſtus,diſtinxiſſet,atque aliter ut dictum eſt de=ſcripſiſſet.Præterea eodem de cypro capite Marcellus,ubi debebat interpretari, Ipſa rufant capillum tuſa,adiecto ſtruthei mali ſucco,pro ſtrutheo malo cotoneo,ſtruthion herbam la=nariam intelligens,Ruellio adhærendo,Rufant capillum conciſa,ſuccoq; lanariæ herbæ ma=dentia & iuncta,tranſtulit.Et quod magis ridiculum eſt,in fine primi libri Commentario=rum ſuorum Hermolaum melius ipſo ſine dubio interpretantem, de hac ipſa re accuſat,in qua quidem uereor ne ipſe accuſandus ſit,cum ibi ſtruthion non herbam lanariam ſed ma=lum cotoneum ſignificet,cum herbæ lanariæ non rufare ſed dealbare proprium ſit ex Pli=nio & Dioſcoride.quod ut planius intelligi poſsit,adducam quæ de cypro Plinius & Dio=ſcorides tradidere.Verba enim Plinij libro uigeſimotertio hæc ſunt:Cypros qualis eſſet, & quemadmodum ex ea fieret oleum,docuimus.natura eius excalfacit, mollit neruos.folia ſto=macho illinuntur,& uuluæ concitatæ ſuccus quoque eorum apponitur. folia recentia com=manducata,ulceribus in capite manantibus.Item oris medentur collectionibus, condylomatis. Decoctum foliorum ambuſtis & luxatis prodeſt.Ipſa rufant capillum tuſa, adiecto ſtruthei mali ſucco.Flos capitis dolores ſedat cum aceto illitus.Idem combuſtus in cruda olla nomas ſanat,& putreſcentia ulcera per ſe uel cum melle.odor floris olet,qui ſomnum facit. Et ſtu=dioſe dixit ſtruthei mali,ut ſtruthion herbam lanariam excluderet. Dioſcorides uero ſic ſcri bit:Cypros arbor eſt folijs oleæ circiter ramos,latioribus, mollioribus,colore uiridioribus, flore muſcaceo,candido,odorato. Semẽ ei atrum ſimile ſambucino acino. Naſcitur Aſcaloni Iudææ optima,item Canopo.natura folijs aſtrictoria,unde commãducata oris ulceribus im=ponuntur.eadem illita collectionibus feruidis medentur,item carbunculis.Decocto eorum ſo=

uere ambuſta prodeſt. Ipſa ruffant capillum tuſa, adiecto ſtruthei ſucco. Flos capitis dolores ſedat, cum aceto illitus fronti. Quemadmodum ex ea fieret oleum docuimus, natura cuius excalfacit emollitq́; neruos, ſi adurentia miſceantur. Ecce Dioſcoridem in plenum cum Plinio conuenire, ut credendum ſit facilè Plinium à Dioſcoride accepiſſe. Vixit enim Dioſcorides tempore Cleopatræ & Antonij, ut Sudas teſtatur his uerbis: Dioſcorides Anazarbēſis medicus cognomento Phacas, id eſt lentinus, quòd lentigine os dehoneſtaretur: fuit autem ſub Cleopatra & Antonio in Aegypto. ſcripſit libros quatuor & uiginti ualde celebres ad medicinæ uſum. uerum à tempore Antonij ad Veſpaſianum, cui Plinius hanc naturalem hiſtoriam dedicauit, centum uiginti & amplius anni ſupputantur. quamobrem non uideo cur Plinius Dioſcoridem legere non potuerit. Cum igitur Hermolaus Plinium cum Dioſcoride conuenire, ſtruthionq́; ibidem pro malo cotoneo acceptum ab ipſo perſpexiſſet, prudētius quàm Marcellus ſtruthei mali ſucco trāſtulit. Et ſi affectus animi exuere, & loqui ſyncere quidem uolumus, opus eſt uolentibus Dioſcoridem intelligere, ac latinitate donare, ut Plinium, qui Dioſcoridem legit, non modo non negligant, uerum etiam præ manibus habeant, & amplectantur, cum neminem alium in lingua latina habeamus, qui nos melius præſertim in hac ſimplicium facultate poſſit adiuuare: ſicut contrà cenſetur indoctus, ut inquit ipſe Hermolaus, qui Plinium non legit, indoctior qui lectum contemnit, indoctiſſimus cui non ſapit. Damnat enim quiſq́; quod ignorat. nec cuius quis ignarus ſit, bene ſentire poteſt. Simili quoq́; modo capite de philyrea eundē taxat, ubi in Corollario inquit: Eſt materia tiliæ tota mollis, ut inter carnoſas molliſſima calidiſſimaq́; dicatur, quoniam citiſſime retundāt aſcias, tincturam earum caloris ſui ui reſoluens. dicitq́; temperaturam, non tincturam iubet, non animaduertens quòd ſi Barbarum reprehendit, Theophraſtum pariter & Theodorum eius fidiſſimum interpretem, & utriuſque linguæ peritiſſimum, ac ipſo Marcello millies doctiorem reprehendit. Non enim uerba hæc Hermolai, ſed Theophraſti ſunt, ſic quinto de hiſtoria plantarum tradentis: Tilia inter carnoſas præcipue mollis, necnon & calidiſſima eadem eſſe uidetur: indicium, quòd aciem ferri maxime hebetat. tincturam enim ui ſui caloris perlaxat. At Hermolaus noſter non ueluti Marcellus, pro medicaſtris, ut ſic appellem, ſed pro medicis alijsq́; uiris doctiſſimis Dioſcoridem luculentiſſima oratione conuertit: pariterq́; Theophraſti uerba unà cum Theodoro diligentiſſime conuertit & interpretatus eſt. Non enim legitur in Theophraſto ſtomoſin, hoc eſt temperaturam, ſed baphin, quod tincturam ſignificat. Verum nos ut huc digrederemur, impulit rei cognatio, cum rationem Amethyſti redderemus.

Coccoq́; tinctum, tyrio tingere, ut fieret bis byſſinum.) *Antiqua lectio, ut fieret byſſinum, ſcilicet cocco & tyrio. Hermolaus uero mauult legere bis byſſinum, ut duplex ſit. unum naturale, & ſuæ pulliginis ex byſſo lino, aut lana illa pinnali quæ byſſus etiam uocata eſt. alterum tincturæ artificio factum, ut edocet Plinius hoc loco. etenim tyrio primum tinctas, mox & cocco tingere mos erat, aut contrà cocco tinctum, tyrio tingere, ut fieret byſſinum. Nam & tertio & quarto & quinto ſaturabantur. unde nomina illa ueſtium, Monocoros, Dicoros, Tricoros, Tetracoros, Pentacoros, in uitis principum. Colos nanque cocci (ut author eſt Plinius libro uigeſimoſecundo) inter principales imperatorijs tantum paludamentis dicabatur, qui ex eodem authore libro uigeſimoprimo in roſis micat. gratius nihil traditur aſpectu, & in purpuras tyrias dibaphasq́;, ac laconicas. De byſſo autem lana Ariſtoteles*

quinto

quinto de hiſtoria: Pinnæ, inquit, erectæ locis arenoſis cœnoſisq́; ex byſſo, id eſt uillo, ſiue lana illa pinnali proueniũt, colore luteô, ac perlucido. Fiunt ex ea precioſiſsimæ ueſtes byſsinæ appellatæ, & byſsinum eiuſmodi color, qui aliquando etiã dicitur byſſus. hoc fit ſi cocco tinctum, ut diximus, tyrio tingatur. De lino autẽ byſſo Plinius libro decimonono, honor, inquit, proximus byſsino mulierũ maxime delicijs circa Elim in Achaia genito, quaternis denarijs ſtipula eius permutata quondã, ut auri. Pauſanias, byſſus, inquit, nõ alia Græciæ parte naſcitur, quàm in Elide, tanta tenuitate, ut ne Iudaicæ quidem byſſo cedat, etiam ſi colore minus ruffet quàm iudaica. De byſſo Iudaica in ſacris literis ſatis abundeq́; legitur. Et erythrodanũ planta latine rubia dicta, caulibus quadrangulis, longis, ſpinoſis, ſimilibus aparinæ, maiuſculis omnino firmiuſculisq́;, folijs circa articulos per interualla ceu ſtellis quibuſdam in orbem, ſemine rotundo inter initia uiridi, mox rubro, & ubi planè maturuit, nigro, radice tenui, longa, rubente, uelleribus tingendis & pellibus perficiendis utili, præſertim Italica, ut Democrito placuiſſe dicunt, ob id à quibuſdam appellata byſſos. Coccum Galatiæ rubens granum, ut dicemus in terreſtribus, aut circa Emeritam Luſitaniæ, in maxima laude eſt.) Differt coccus baphica, hoc eſt granum tinctoriũ, à cocco gnidio, ſiue grano gnidio, ut apertiſsime conſtabit Galenũ & utriuſq; notas contemplãtibus. nam de cocco ſiue grano gnidio ſic Plinius libro uigeſimoſeptimo refert: Cocco gnidio color cocci, magnitudo grano piperis maior, uis ardens: itaq; in pane deuoratur, ne adurat cum gulam tranſit. Frutex qui hoc ferat, thymelæa ſiue chamelæa dicitur. at qui tinctorium granum gignit, de quo meminit hic Plinius, aut priuatim coccus dicitur, ut Dioſcoridi uidetur, aut ilex eſt aquifolia ex Plinio libro decimoſexto. Omnes tamen, inquit, roboris dotes ilex ſolo prouocat cocco. granum hoc, primóque ceu ſpectes frutices paruos aquifoliæ ilicis: quiſquiliũ uocant, penſionem alteram tributi pauperibus Hiſpaniæ donat. uſum eius gratiorem in conchylij mentione tradimus. Gignitur & in Galatia, Africa, Piſidia, Cilicia, peſsimum in Sardinia. & ut idem author libro uigeſimoquarto tradit, eſt genus ex eo in Attica & Aſia naſcens, celerrime in uermiculum ſe mutãs, quod ideo ſcolecion uocant, improbantq́;. Et Pauſanias qui fruticem hunc in Locride copioſum ad Ambryſon rhamni amplitudine, præterea lentiſco ſimilem, nigriore tantum & molliore folio deſcribit, fructu ſolani quidem ſpecie, ſed erui magnitudine. colligendum præcipiunt antequam uermiculus is naſcatur. Galatæ qui ſupra Phrygiam ſunt, gentiliter Lig uocant. Iones & Græcia tota coccum. Itali in hunc uſque diem granum.

EX CAPITE XLII.

Concharum generis & pinna eſt. naſcitur in limoſis ſubrecta ſemper, nec unquam ſine comite, quem pinnotheren uocant, alij pinnophylacem. id eſt ſquilla parua. alibi cancer dapis aſſectator.) Ariſtoteles quinto de hiſtoria, Pinnæ, inquit, erectæ locis arenoſis cœnoſisque ex byſſo, id eſt uillo ſiue lana illa pinnali proueniunt, quæ cuſtodem intra ſe continent, aut caridion, hoc eſt ſquillam paruam, ut Cicero ſecundo de natura deorum & Theodorus conuerterunt, aut carcinion, id eſt cancellum: quo quidem cuſtode priuatæ pereunt breui tempore. quod & Athenæus tradit. ſedem nunquam mutare ſolent: radice enim innituntur, quæ & euulſæ uiuere nequeunt. Eſt autem pinna concharum generis maxima, ad ſimilitudinẽ cruris ſuilli, foris ſcabra, intus læuis ac perlucida, naſtura uulgo dicta, cancellũ illum, quem alio nomine pinnotherẽ ſiue pinnophylacẽ, ut author eſt Plinius & Athenæus, uocãt, intra ſe conti-

nens. Ariſtoteles eodem loco: cancri colore albido, corpore admodum parui, in nonnullis teſta operti generis naſcuntur, & plurimi quidem in mytulis ſoliatis, mox in pinnis, quos pinnotheras uocant, de quibus etiam mētionem facit Oppianus. Quin etiam in pectunculis atq; oſtreis, uerum ij nullum conſpicuum capiunt incrementum. Piſcatores cancros eiuſmodi naſci confirmant unà cum illis quorum teſtam inhabitant. Diuerſum ſanè genus à cancello illo concharum hoſpite. is enim ex ipſo Ariſtotele, principiò ex terra limo'q; conſiſtit, mox conchulas ingreditur uacuas. ubi cum excreuerit, tranſit in conchā ampliorem, uidelicet aut naticis, aut turbinis, aut alicuius ſimilis. ſæpe etiam paruam buccinam ſubit, ingreſſusq; ampliorem illam gerit. Pari modo & uiuit in domicilio capaciore, rurſusq; excreſcens aliam petit ampliorem. Paludes noſtræ Venetæ, Iſtria & Dalmatia plurimum abundant hoc genere, de quo ſuprà abunde ſatisq; diximus. Naſci etiam in cubilibus ſpongiarum nouimus, ut idem author eodem libro tradit, beſtiolam aranei ſimilem, nomen pinnothera mutuantem. degit hæc intra ſpongiarum cubile, & aperiendo claudendoq; piſciculos capit. aperit antequam ingrediantur, claudit & contrahit cum ingreßi ſunt. Pinnis haud abſimiles ſunt pernæ concharum generis Plinio trigeſimoſecundo uolumine. circa Pontias inſulas frequentißimæ, ſtant uelut ſuillo crure longo in arena defixæ, hianteſq; quà lympitudo eſt, pedali non minus ſpatio, cibum uenantur. dentes in circuitu marginum habent pectinatim ſpiſſatos. intus pro ſpondylo grandis caro eſt. Aſſultant alij protinus.) Vetus lectio: aſſultant illi protinus, id eſt, minuti piſces dum ſe pandit pinna, illico aſſultāt. & hactenus Plinius de tertio genere quod ſanguine uacat, & ſiliceo tegmine operitur. uerum cum de alijs duobus generibus quæ ſanguine carent, ſcilicet mollibus & cruſtatis nonnulla in genere à nobis relata ſint, ratio etiam admonet ut de ipſo quoque tertio genere in uniuerſum nonnihil adijciamus. Quæ igitur teſta operiuntur animalia, ut umbilici, conchæ, cochleæ, purpuræ, & omnia quæ oſtreæ aut conchæ nomine appellamus, atque etiam echinorum genus, carnem quācunq; habent, ſimiliter atque cruſtata habent: quippe quæ intus eam continent, teſtaq; foris claudantur, nec intra ſe durū quicquam. ſed ipſa inter ſeſe numeroſa diſcrepant differentia, tum teſtæ, tum carnis interioris ratione. alijs enim in eo genere nulla eſt caro, ut echinis. alijs eſt, ſed penitus incluſa, nec ulla ex parte conſpecta excepto capite, ut terreſtrium limacibus, & ijs quæ cocalia quidam appellarunt, & aquatilium purpuris, buccinis, cochleis, & reliquis omnibus turbinatis. cætera aut duplici conſtant ualuula, aut ſimplici, ut genus alterum biualue, alterum uniualue poßit nuncupari. Biualue appello, quod gemina teſta continetur. uniualue quod teſta ſingulari clauditur. Sunt item quibus altera pars ſuperficiei detecta carnem oſtendat, ut patellæ biualuis generis. pars cluſilis eſt, ut pectunculi & mytuli. eiuſmodi nanque omnia parte altera ligata, altera ſoluta conſtant, ut & concludi poßint, & aperiri. alia binis quidem concluſa ualuulis ſunt, uerum utroque latere connexa, ut ungues ſiue digiti. Non deſunt quæ teſta tota occultentur, ut nulla ex parte carnē detectam habeāt, ut quæ uertibula, ſiue tubera & callos appellamus. Ipſarum etiam teſtarum magna uarietas. nam aliæ leues, ut ungues, mytuli. & concharum quædam albæ, aliæ ſcabræ, ut oſtreæ, pinnæ, & conchæ nonnullæ & buccina. quædam pectinatim diuiſæ, ut pectunculi, & concharum nonnullæ. craßitudine quoque differūt & tenuitate, tum totius tum partis, uelut labrorum. Alijs enim labra tenuia, ut mytulis: alijs craſſa, ut oſtreis. Item alia ſe mouent, ut pectines, quos etiam uolare nonnulli aiunt. nam de

ferramento

ferramento quo capiuntur, ſæpe exiliunt. alia ita natura immobili ſunt, ut nunquam ſedem in qua hærent, ſponte ipſa mutare ualeant, ut pinna. omne ſanè turbinatorum genus mouetur & ſerpit. patella etiam ſaxis abſolui, in paſtumq́; fieri ſolita eſt. Commune autem & ijs quæ adhuc enumeraui, & cæteris teſtacei generis, ut teſta intus æqualis læuisq́; habeatur. Caro biualuis & uniualuis generis ita teſtæ adhæret, ut niſi per uim nequeat detrahi. at turbinati laxior cõtinetur & abſolutior: cui generi peculiare eſt, ut teſtæ poſtrema à capite intorqueãtur. operculum etiam eadem iam inde ab ortu naturæ omnia gerunt. mouentur item eadem omnia parte dextra. partes exteriores eius generis differentijs ijs uariantur. interiorum natura ſimilis quodam modo in omnibus eſt, maximeq́; in turbinatis. differunt enim inter ſe magnitudinis exceſſusq́; affectu. Nec uero multum uniualue ac biualue genus concluſile ſibi diſſident, quippe quæ parum differentiæ inter ſe afferant, quanquam longe ab immobilibus diſcrepent. natura ergo turbinatorum ſimilis conſtat: nec niſi magnitudine uariat, ut modo dixi. alijs enim partes maiores atque euidentiores, alijs minores obſcurioresq́; ſunt. ad hæc diſcrimen illud duritiæ, mollitiæ, cæterarumq́; generis eiuſdem affectionum. Caro enim prima in ore teſtæ, quam omnia toroſiuſcula habent, alijs magis talis, alijs minus, caput eius medio partis prominulum iungitur, & cornicula duo, quæ pro magnitudine animantis plus minus capiunt incrementi. exerunt caput more omnia eodem: idemq́; per metum retrahunt intro. promuſcidas item gerunt modo muſcarum, quod quidem membrum linguæ effigiem præ ſe fert. Habent hoc idem & purpuræ & buccina firmum & toroſum, quo ſimiliter ut aſili quadrupedum tergora penetrant, imò longe ualidius. teſtas enim eſcarum poſſunt perforare. uenter os protinus excipit, ſimilis in umbilicis gutturi auiũ, habentq́; parte inferiore duo quædam albida, toroſa, mammis ſimilia, cuiuſmodi carunculas uel in ſepijs eſſe aduertimus, ſed hæc toroſiora. gula à uentre duplex longa porrigit ſe uſque ad papauer, quod poſtremũ fundo commiſſum eſt. Hæc ergo ut in purpuris & buccinis conſpicua in clauicula teſtæ continentur. Quod autem gulæ ſubiungitur, inteſtinum eſt gulæ ipſi continuum, ſimplexq́; ex toto uſque ad exitum, cuius initium circa anfractum papaueris eſt, quà & laxius hæret. quod enim papauer appellamus, quaſi materia uacans, atque excrementitia magna ſui parte, in omnibus teſtaceis generibus ineſt. Hinc ſurſumuerſus replicans carnis repetit ſedem, finitq́; ad caput, unde eijcitur excrementum pariter in omnibus turbinatis generibus, tam aquaticis quàm terreſtribus. membrana in grandiuſculis umbilicis à uentre gulæ attexitur continua, per quam meatus prolixior albicans, colore ſimilis ſuperioribus illis mamillantibus carniculis, tendit. Habet etiam inciſuras quales in ouo locuſtarum habentur. uerum hoc albidũ, illud rubidum eſt. nullus exitus huic, nullum foramen poſtremum patet, ſed prætenui membrana cauo perducta anguſto continetur. Tendunt ab inteſtino ad imum nigrantia quædam aſpera atq; continua, qualia uel in teſtudine uiſuntur, ſed minus nigra. Cæteri quoque umbilici hæc habent eadem, ſed quo minores, eo minutiora. Vniualue autem & biualue genus partim his ſimile eſt, partim diuerſum. Caput enim & cornicula & os obtinent, atque etiam quod linguæ ſpeciem gerat. uerum hæc in minutioribus ſenſum præ ſua exiguitate effugiũt. nonnulla etiam in exanimatis aut non mouentibus percipi nequeunt. papauer illud quod etiã mutem appellamus, omnia habent, ſed non loco eodem, nec par, nec ex æquo manifeſtum, ſed patellæ in imo, biualuia uero ad partem qua mutuo teſtarum complexu continentur. Capil-

lamentis etiam illis hæc omnia circundantur: & quod ouum appellant, tempore quo gigni ſolet, ambitu alterius lateris ore continetur, uidelicet ijs quibus datum id à natura eſt, ſicut etiam albugo umbilicis. id enim illis iunctum ſimile intelligimus. ſed eiuſmodi partes (ut dixi) cum conſpicuæ in magnis habeantur, in paruis tamē aut nullo pacto aut uix ſentiuntur, quāobrem in magnis pectunculis præcipue patent: quod genus id eſt, cui altera ualuularū latior uelut tegmen ſuperpoſita eſt. oſtium excrementi cæteris à latere eſt. foramen enim quo egerant omnia habent, quippe cum papauer illud, ut dictum iam eſt, excrementitium quiddam omnia membrana contentū ſortiantur. At illi quod ouum appellant, foramen nullum in genere tributum uidemus, ſed carni ipſi intumeſcit, nec eadem qua inteſtinum parte cōtinetur, ſed dextera; cum inteſtinū habeat ſiniſtram. cæteris ergo talis excremēti exitus eſt. At uero patellæ feræ quam marinam aurem quidam appellarunt, parte ima teſtæ excernitur, quà foramen habetur. uenter etiam poſt os eſſe in hoc eodem patellæ genere conſtat, atque etiam ouis illa ſimilia. Sed quis eorum cuiq; ſitus ſit, diligentius ex diſſectionibus petendum eſt. Teſtatorum corpus non multiplex eſt, cuius rei cauſſa eſt, quòd eorum natura ſtabilis eſt. Quæ enim mobiliora ſunt, hæc plures habeant partes neceſſe eſt, quoniam actiones eorum ſint & officia plura. plura enim deſiderant inſtrumenta ea quæ plures motiones exercent. Ad hæc aut omnino immobilia ſunt, aut parum motus adipiſcuntur: uerum natura conſulens eorum ſaluti, duritiam teſtæ obduxit. Habent omnia teſtata caput infrà plantarum modo: cuius rei cauſſa eſt, quòd cibum de imo capiant. quod uero ad excrementi exitum deputatum eſt, id ſuprà habetur: quod idē & echinis & turbinatis omnibus patelliſq; euenit. paſtus enim de imis petatur neceſſe eſt, ut plantæ radicibus ſuis hauriūt. ita ijs uſu euenit, ut inferiora habeāt ſupra, ſuperiora infra. membrana obducit, qua portio poculēta humoris tranſmiſſa, liquataq; cibo aſſumitur. nullum ex ijs eſt quod capite careat. cæteræ corporis partes nomine uacāt, præter eam quæ cibum recipit. Conchæ dentibus etiam binis fulciūtur, ut cochleæ, quæ dentes & preduros & acutos habent, & quod interiacet dentibus carnoſum ſimiliter, ut mollia & cruſtata. Laborāt teſtata omnia per frigus & æſtū, atq; exuperantiā tēporis pati nequeūt. latent omnia, ut purpura, buccinum, omneq; id genus, ſed abſolutorum latibulum euidentius eſt. conduntur enim ſeceſſu, ut pectines facere uiſuntur: aliqua leuiore quodā tegmine ſuperimpoſito deliteſcunt, ut cochleæ terreſtres, id eſt limaces. & adhærentiū mutatio incerta eſt. non tamen eodē tempore omnia latent, ſed limaces hyeme, purpuræ & buccina canis exortu: pectines etiā tempore eodem. In Ponto non ſunt teſtata, niſi locis quibuſdā pauca. In mari rubro teſtata omnia mira quadā magnitudine augentur. Anni pluuij teſtaceo generi proſunt, præterquam purpuris. iam in pyrrhæo euripo pectines aliquando defecerunt, non modo propter ferramentum quo piſcatores abradendo ubertim caperent, uerum etiam propter ſiccitates. Cæteris etiam teſtatis imbres conducunt, propterea quòd mare dulcius redditur. ſed frigus facit profecto ne uel in ponto uel in fluuijs gigni poßint, exceptis biforibus paucis. genus nanq; unifore potißimum rigore induratur & interit. Pectines omneq; oſtrearium ſiue concharium genus tunc optima ſunt, cum grauida: & quanquam grauida dicimus, tamē nullum eorum uel coitum uel partum uidemus. hoc enim unum ferè genus totum expers coitus eſt. unum ex his genus cochlearum coire perſpectum eſt, ſed an ortus earum ſit nec ne, nondum exploratum ſatis habetur. Natura teſtati generis conſiſtit partim ſponte, partim

aliqua

aliqua ab ipſis emiſſa facultate, quanquam ſæpenumero ea quoque ſpontina oriantur conſtitutione. Sed generationes plantarum accepiſſe hoc loco congruit. oriuntur enim earum aliæ ſemine, aliæ auulſione, nonnullæ etiam ſobole, ut cepe. hoc igitur tertio modo mytuli gignuntur, quippe qui minores ſubinde iuxta principium adnaſcuntur. buccina & purpuræ, & quæ fauare dicuntur, quaſi à ſeminali natura humores quoſdam mucoſos emittunt, ſemen uero nullum eſſe eorum putandum eſt, ſed quo diximus modo plantis aſſimulantur. quamobrem larga eorum copia prouenit cum primum conſtiterit aliquid. hæc enim omnia uel ſponte ut oriantur euenit: itaq; ratione tunc magis cum origo præceſſerit, conſiſtunt. aliquid enim excrementi ſingulis proficiſci credendum merito eſt ab eo principio, cui ſoboles quæq; adnaſcitur. ſed cum ſimilem habeant facultatem cibus excrementumq; cibi, fauantium ſubſtantiam ſimilem eſſe conſtitutioni primæ conſentaneum eſt. Quapropter excremento hoc gigni probabile eſt. quæ autem uel ſobolem nullam procreant, uel non fauant, eorum omnium ortus ſpontinus eſt. omnia uero quæ hoc modo conſiſtunt, aut in terra, aut in aqua cum putredine gigni uiſuntur, & imbre admiſſo. cum enim dulce in principium conſtituendum ſecernitur, quod ſupereſt, talem accipit formam. nihil autem gignitur putreſcens, ſed concoctum. putredo uero & putridum excrementum rei concoctæ eſt. nihil enim ex toto efficitur, quomodo neque in ijs quæ ab arte conduntur. nam ſi ita eſſet, facere non requireretur: ſed quantum inutile eſt, id aut à natura, aut ab arte detrahitur. Generantur autem in terra humoréque animalia & plantæ, quoniam humor in terra, ſpiritus in humore, calor animalis in uniuerſo ineſt, ita ut quodammodo plena ſint animæ omnia: quamobrem conſiſtunt celeriter cum calor ille comprehenſus ſiue exceptus eſt. Comprehenditur autem & humoribus corporeis incaleſcentibus efficitur uelut bulla ſpumoſa: ſed differentia nobilioris ignobiliorisue generis conſtituendi in comprehenſione principij animalis eſt. huius autem rei cauſſam & loca habent, & corpus quod comprehenditur. In mari uerò multum portionis terrenæ eſt: quocirca ex tali concretione natura teſtati generis oritur, ita ut pars terrena circa dureſcat cogaturq; eodem modo quo oſſa & cornua: (ſunt enim hæc illiquabilia igne) corpus intus contineatur, quod uitam obtinet. Nouit torpedo uim ſuam, ipſa non torpens, merſaq; in limo ſe occultat, piſces qui ſecuri natantes obtorpuere, corripiens.) *Ariſtoteles libro de natura animalium nono: Torpedo, inquit, piſces quos appetit, afficit ea ipſa quã ſuo in corpore continet facultate torpendi, atq; ita retardos præ ſtupore capit, & ueſcitur. abdit ſe in arena & limo, tũc piſces qui adnatãtes obtorpuerint, corripit: quam rem pleriq; conſpectam à ſe retulerunt. eſt autẽ torpedo piſcis inter chartilaginea planus, à Græcis narce appellatus. quod ſi quis eam manu uiuam geſtauerit, torporem brachio inſpirauerit: ob id nunc etiam Apuli torpedinem, & Veneti tremulum cognominant.* Nec minor ſolertia ranæ, quæ in mari piſcatrix uocatur. eminentia ſub oculis cornicula turbato limo exerit, aſſultantes piſciculos pertrahens, donec tam propè accedant, ut aſſiliat.) *Ariſtoteles eodẽ loco: Sed in marinis quoq;, ait, animãtibus permulta intelligi poſſunt non ſine ſolerti ingenio effici ratione uitæ commodioris. nam & inuulgata illa de rana quæ piſcatrix cognominata eſt, & quæ de torpedine, uera omnino certaq; ſunt. Rana enim ijs quæ gemina ante oculos ſuos dependent, quorum fila capilli ſpeciem referũt, ſed poſtrema rotundis quibuſdã præpilãtur, quaſi eſcæ cauſſa additis: his inquã ubi locis arenoſis aut feculentis obturbato ſolo ſe abſconderit, piſcatur, attollens illa ſibi pen-*

dentia fila. dum enim piſciculi occurrunt, & capita machinamenti penſilis pulſant, ipſa ſubtrahens fila allicit, donec eos in os adducat. cuius meminit & Oppianus. Sciendum tamen apud Ariſtotelem pleriſq; locis raia pro rana mendoſe legi. Eſt enim rana quæ piſcatrix cognominatur, & ipſa inter chartilagnea plana, græce batrachos appellata, quæ caput longe grandius reliquo corpore habet, id q; aculeatum, ualdeq́; aſperum, cuius fœtus non ut cæteris chartilagneis eſt. nam una hæc inter chartilagnea (ut ait Ariſtoteles) non animal, ſed ouum excludit, de qua ſuprà ſatis ſuperq; diximus, cum de chartilagneis ageremus. Simili modo ſquatina & rhombus abditi pinnas exertas mouent ſpecie uermiculorum, item quæ uocatur raia.) Squatina, quæ rhina græce dicitur, & ipſa piſcis eſt inter chartilagnea planus, licet non nimis latus, cuius os nec infra parte ſupina, ut maiori parti chartilagneorũ, ſed ante promptúmque eſt. cauda quoque eidem longa mucronatáque eſt. cutis autem aſpera, qua ligna & ebora poliuntur, nunc etiam ſquatina uulgo dicta. Rhombum etiam inter planos, qui ſpinam tamen obtinet, ſuperius collocauimus. Eſt etiam raia piſcis planus chartilagneus, uti oſtendimus capite uigeſimoquarto, quam Græci batin & baton uocãt, ex eo quòd cauda aculeis quibuſdam armata ſit, ad ſimilitudinem rubi, quæ græce batos dicitur. Verum cum pinnis careat ex Ariſtotele primo de hiſtoria, & quarto de partibus animalium, nõ uidetur eſſe uerum quod dixit Plinius, ſcilicet quòd pinnas exertas moueat, quod de ſquatina & rhombo concedimus. Hæc enim pinnis prædita ſunt. attamen Ariſtoteles non pinnis hoc, ſed radiolis ſui oris eiuſmodi piſces facere teſtatus eſt. ait enim nono de hiſtoria, unde Plinius hæc mutuatur, obruunt arena ſeſe & aſelli, & raiæ & pſittæ, & ſquatinæ: cumq́; nullam ſui corporis partem intectam reliquerint, uerberant radiolis ſui oris, quos piſcatores uirgulas uocant: quos piſciculi cum aſpexerint, adnatant quaſi ad algas, quibus ueſci ſoliti ſunt. niſi quis dixerit in Plinio legendum eſſe rana, non raia, hoc modo: Simili modo ſquatina & rhombus abditi pinnas exertas mouent ſpecie corniculorum. itemq́; quæ uocatur rana. paſtinaca latrocinatur ex occulto &c. ut nam iungatur cum uerbo præcedenti: ut non legatur raia nam, ſed rana. ut ſit ſenſus: ut illa ſcilicet rana piſcatrix corniculis ſuis piſcatur, ita ſquatina & rhombus quanuis corniculis careant; pinnis ſuis uice corniculorum utũtur, quod ſimiliter & eadem quæ uocatur rana facere uidetur. nam quando præpilatis illis capillamentis ſiue corniculis caruerit, ut inquit Ariſtoteles eodem loco, eorum uice utitur pinnis. quamobrem macilentior capitur, quia non ita commode piſcari poteſt. Nec obſtat quod paulò ſuprà Plinius de rana meminerit, cum intellexerit ibi quando cornicula ſua habuerit, & infra cum eiſdem caruerit. ſi quis tamen aptiorem ſenſum inuenerit, continuo gratias teſtabor. Sed nec illud quidem notabile eſt omittendum. quod enim hic Plinius rhombum, Ariſtoteles, uti retulimus, pſittam nominat, quam Theodorus paſſerem conuertit. Athenæus quoque, rhombum, inquit, Romani dicunt, quem Græci pſittam uocant. Nam paſtinaca latrocinatur ex occulto, trãſeuntes radio (quod telum eſt ei) figens. argumenta ſolertiæ huius, quòd tardiſſimi piſcium hi mugilem ulociſſimum omnium habentes in uentre reperiuntur.) Ariſtoteles eodem loco inquit: Paſtinaca etiam ſe ipſa occultat, ſed non ſimili modo. Argumentum ſic uiuere hos adduci poteſt, quòd ſæpius habentes in uentre mugilem capiuntur uelociſſimum piſcem, cum tardiſſimi ipſi ſint. Paſtinacam quam Græci trygona uocãt, & ipſam inter plana chartilagnea, radium dentatum dentibus retrouerſis ſuper caudam gerentem, deſcripſimus.

EX CAPITE XLIII.

Scolopendræ terreſtribus ſimiles,quas centipedes uocant,hamo deuorato omnia interanea euomunt,donec hamum egerant,deinde reſorbent.)Scolopendra tam terreſtris quàm marina,latine centipes ſiue centipeda nuncupatur.De marina ſic Ariſtoteles nono de hiſtoria meminit:Qui autem ſcolopendra appellatur,ubi hamum deuorarit,euomit foras ſua interiora,donec hamum eijciat,tum recipit intro,ac ualet eadem qua antè ſalubritate. appetitus his quoque nidorulentorum ut terreſtribus eſt.mordent non ore,ſed tactu totius corporis,ſimiliter ut quæ urticæ uocantur.idemq́; teſtatur Oppianus.quibus authoritatibus Plinium liberauimus à falſa calumnia Marcelli,eum in ſuo Dioſcoride accuſantis, quòd dixerit centipedes marinas deuorato hamo omnia interanea euomere,donec hamum egerant,deinde reſorbere,cum Plutarchus non interanea euomere ſcripſerit,ſed ſeipſas inuertere.Verum Plinius non à Plutarcho,ſed ab Ariſtotele accepit.quamobrem taceat Marcellus, quia aduerſus Plinium & Hermolaum ſemper eſt infans. De hac item ſcolopendra Ariſtoteles etiam libro eiuſdem hiſtoriæ ſecundo meminit:Scolopendras,inquit,etiam maris incolas eſſe nouimus,ſpecie terreſtribus ſimiles,magnitudine paulo minores,colore rubentiores, numero pedum copioſiores,& crurum tenuitate graciliores.naſci locis ſaxoſis ſolēt,& modo ſerpentum, non magna altitudine gurgitum.Aelianus quoque:Marina,inquit,ſcolopendra terreſtri quàm ſimillima:quam ſi humana caro attigerit, ſtatim prurit,quaſi urticæ herbæ modo attentata. idem & urtica piſcis facit.Eſt & ſcolopendrion herba quam Dioſcorides Aſplenon etiam appellauit,folijs ſcolopendræ animali ſimilibus,multis ab radice una polypodij modo inciſis,à terra ſufflauis,hirſutis,ſuperne coloris herbacei.gignitur in petris, & parietibus ſiliceis & opacis,neq; caulem neq; florem neq; ſemē habens.Recentiores uerò ferè omnes pro ſcolopendrio aliam omnino plantam capiunt,quæ prouenit folijs lapathi,longioribus duntaxat, adultioribusq́;,modo ſenis,modo ſeptenis,interius læuior,auerſis annexos exiles ceu uermiculos præferens:in opacis hortisq́; naſcitur,auſteri guſtus.caule,flore,ſemine deficitur.Sed phyllitis hæc non ſcolopendrion uocatur à Dioſcoride,quæ rectius & magis proprie quàm quæ ſcolopendrion appellatur,lingua ceruina à latinis interpretaretur.ut Theodorū omnino taxem,qui ſcolopendrion in Theophraſto linguam ceruinam improprie conuerterit.nam ſcolopendrion cum nullam cum cerui lingua ſimilitudinem habeat, quemadmodum de phylliti utique conſtat,ſcolopendræq́; animali ſit ſimile, latinóue alio nomine careat, centipedariam uocari interpretandi ratio depoſcebat, quemadmodum & chelidonion herbam recte hirundinariam conuertit.Lapſus fortè Theodorus, quoniam aut recentioribus,aut libris pictis fidem adhibuit,quibus pleraque falſa reperiuntur. Non deſunt qui & hemionion eſſe ſcolopendrion affirment.Theophraſtus nono de hiſtoria plantarum hemionon Theodoro mulam interpretante,à ſcolopendrio certè diſtinxit, quippe qui hemionion folijs ſcolopendrij appellati radice numeroſa tenuiq́; deſcripſerit,mulasq́; hac herba plurimum delectari, ut inde nomen,atq; etiā ad lienes uti.Plinius uerò radicem aſpleni ſeu ſcolopendrij aliter deſcripſiſſe uidetur.Inquit enim uigeſimoſeptimo de naturali hiſtoria libro:Aſplenon ſunt qui hemionion uocant,folijs trientalibus multis,radice limoſa,cauernoſa,ſicut filicis candida,hirſuta.nec caulem,nec florem,nec ſemen habet:naſcitur in petris,parietibusq́; opacis humidis, laudatiſſima in Creta.Dioſcorides quoque qui folia multa ab radice una habere tradidit,ra-

dicem ſimplicem & ſingularem non numeroſam licet hirſutam intellexiſſe uidetur, ut fateri neceſſe ſit, hemionion non modo genus eſſe diſtinctum à ſcolopendrio, ut ipſe Theophraſtus uolut, uerum etiam ab aſpleno. Hemionios nanq; (ut nos uidimus) herba eſt folijs trientalibus ab radice multis, polypodij modo inciſis, à terra ſufflauis, hirſutis, ſupernè coloris herbacei, radice nigra, numeroſa, tenui, ut capillamenti ſpeciem referat, quam modo citherach recentiores appellant. Nos hæc ex authoritate Theophraſti & uiſu loquimur. Aſplenon uero ſiue ſcolopendrion in omnibus ferè cum hemionio præterquam in radice conuenit, quæ aſpleno non numeroſa, tenuis atque nigra, ſed ex Dioſcoride una ſiue ſimplex eſt, & (ut addidit Plinius) limoſa, cauernoſa, ſicut filicis candida, hirſuta. quæ deſcriptio cauernoſa & candida, radici nigræ numeroſæ ac tenui ut capillamenta conuenire nullo modo poteſt. Addimus etiam quod Dioſcorides ipſe myoſotida radicem unam digiti craßitudinis multis capillamentis fibratam habentem in totum ſcolopendrio comparauerit. qui uero aſplenon ſiue ſcolopendrion & hemionion eaſdem eſſe plantas uolunt, coguntur dicere, Plinium & Dioſcoridem radicem aſpleni ſeu hemionij malè deſcripſiſſe. Et hemionitis aliud eſt & diuerſum, ut puto, genus ab hemionio, ſiquidem folijs ari ſeu lunatis ex Dioſcoride conſtat. nam hemionios ſiue hemionos ex Theophraſto, uti retulimus, folijs ſcolopendrio ſimilibus oſtenditur. Hermolaus uero, ubi in Plinio libro uigeſimoquinto legebatur: Inuenit & Teucer eadem ætate Teucrion, quam quidam hermenion uocant, ſpargentem iuncos tenues, folia parua, aſperis locis naſcentem &c. cum eandem cum hemioniti eſſe contenderet, folia curua uel ari, malè ut opinor emendauit. Plinius enim non hemionion ibi ſed Teucrion herbam deſcribit, quæ ex Dioſcoride uirgas habet multas, trixagini ſimilis, folio tenui ciceris amplitudine. quod ijs quæ à Plinio dicta ſunt, rectè reſpondet. Teucrion nanque uirgas ſeu iuncos ſpargit, & folia parua, cum ſint trixagini ſimilia, & ciceris amplitudine: quæ me potius folia parua, uti ſcriptum erat, quàm curua ſeu ari, ad legendum inclinat animus: ubi nec hemionion ſed hermion, uel herminion antiquis exemplaribus legitur. Miſcent confunduntq; aliqui teucrion cum aſpleno atque hemionitide, quoniam eadem poteſtate ſunt (omnes enim lieni ſunt remedio) non autem quia inter ſe deſcriptione conueniant, ut facile conijci poteſt. etenim diuerſa ſunt nomina, diuerſæ quoque deſcriptiones, ſeorſumq; ueteres Græci de ſingulis tradiderunt. utcunque tamen ſe res habeat, ſi in errore iſti fuerunt, Marcellus Dioſcoridis interpres maxime omnium fuiſſe uidetur, phyllitidem pro aſpleno ſeu ſcolopendrio deſcribendo, ea quæ tranſtulit non animaduertens: quòd ſcolopendrion ſiue aſplenon ex Dioſcoride folia haberet polypodij modo inciſa, & ut ait Plinius, trientalia, hoc eſt quatuor digitorum longitudinis, & eam quam ipſe pro ſcolopendrio acceperat, folijs lapathi ac pedis unius longitudinis nullatenus inciſis eſſe conſtaret: ut neque etiam probem, quod in Dioſcoride legi debebat, gignitur in petris & parietibus ſiliceis & opacis, quod in Plinio quoque legitur, ipſe interpretatus eſt, parietibusq; opacis lapidibus fluminum confectis: etiam ſi ſic deprauate in græco legatur: ac ſi eiuſmodi plantam in parietibus ex quadratis lapidibus conſtructis Dioſcorides gigni noluiſſet, in quibus nos præcipue uidimus, ac in mœnibus Troiæ & Iaderæ ueteris collegimus. Simili quoque modo deſcribendo phyllitidem fecit. ubi enim interpretari debebat, in umbroſis hortiſq; naſcitur, ut Græci codices habent, ipſe, naſcitur hortorum umbroſis locis, ut ſi phyllitis non niſi in hortis naſceretur: quod falſum eſt, cum in umbroſis.

etiam

etiam montium, & circa fontium riuulos maiore ex parte proueniat, ut unicuique intueri licet. Fuit enim hic Marcellus nimis periculoſus interpres præ nimia ſua mutandi licentia. quo fit ut plerunque nec mihi nec doctis ſatisfaciat, quippe qui inuidia in Hermolaum flagrans, quòd prior edidiſſet Dioſcoridem, ſæpe ab eo diſſentiat, in tranſuerſum raptus & ingenij infelicitate, & odio. Cæterum aſplenon ab alijs ſcolopendrion, quòd multos pedes habeat, ſcolopendræ animalis ſimilitudine eſt appellatum: ſed aſplenon uocatum, quòd animalibus lienem abſumat, hoc modo inuentum teſtante Vitruuio circa Potereum flumen, quod eſt Cretæ inter duas ciuitates Gnoſon & Gortynam. dextra enim & ſiniſtra eius fluminis paſcebantur pecora, ſed ex ijs quæ paſcebantur proxime Gnoſon, ſplenem habebant. quæ autem ex altera parte proxime Gortynam, non habebant apparētem ſplenem. unde etiam medici quærentes de ea re, inuenerunt in ijs locis herbam, quam pecora rodendo imminuerant lienes. ita enim herbam colligendo curabant lienoſos hoc medicamento: quam ob cauſſam aſplenon & ſplenion uocauere, non autem ut ridicule expoſuit Marcellus, quòd longitudine latitudineq; ſua faſciolæ & emplaſtelli formam haberet. Hemionios autem etſi multis in locis reperitur, nullibi tamen copioſior quàm in montibus Aſcrinij, quod nunc Catharū uocamus. At uulpes marinæ ſimili in periculo glutiunt amplius uſque ad infirma lineæ, quæ facile prærodant.) Ariſtoteles nono de hiſtoria, Piſces, inquit, qui uulpes nuncupantur, cum ſe deglutiſſe hamum ſenſerint, ſibi opitulantur, ut centipedes. longius nanque ſeſe efferentes hami lineam abrodunt. capiūtur enim locis nonnullis hamo multiplici, gurgite præalto & fluctuoſo. quod & Oppianus tradit. Sunt autem uulpes marinæ quæ Græcis alopeces uocantur, piſces è galeorū genere inter chartilaginea caniculis ſimiles, oua ad præcordia continentes ſuper mammas, quibus ut deſcenderint iam abſolutis fœtus innaſcitur. Athenæus inquit uulpem muſtelum piſcem Rhodi optimum eſſe, & canem pinguem à Syracuſanis uocari. Glanus, qui & glanis uocatur, auerſus mordet hamos, nec deuorat, ſed eſca ſpoliat.) Vetus lectio melior eſt, non enim glanius, neque glaucius, ſed, Cautius, qui & glanis uocatur, & reliqua. hoc eſt magis caute. nam ſcolopendra & uulpes cum hamum deuorarint, hæc ſcilicet hamum retinendo, illa interiora euomendo, quamuis ingenium præ ſe ferant, periculum tamen incurrunt. uerum cautius ijs & prudentius agit qui glanis uocatur, quoniam hunc piſcem ſilurum quoq; ſuperius appellauerat, de cuius ingenio ſic Ariſtoteles nono de hiſtoria tradit: Glanis ſi minor ſit natu, minuſque uſu exercitatus, facile hamo capitur. ſed ſi peritus, & hamifraga eſt, morſu dentis ſui duriſsimi rumpit hamum, & fœtum aſsidue cuſtodit.

EX CAPITE XLIIII.

Graſſatur aries ut latro.) De ariete belua marina diximus nonnihil ſuperius, cum de elephantis marinis ageremus.

EX CAPITE XLV.

Equidem & his ſenſum ineſſe arbitror, qui nec animantium neq; fruticū, ſed tertiam ex utroq; naturā habēt, urticis dico & ſpongijs.) Plinius utrunq; genus, urticā ſcilicet & ſpongiam, inter zophyta, hoc eſt quæ nec animaliū nec fruticum naturam, ſed tertiam ex utroque ſortiantur, collocauit. Ariſtoteles quarto de partibus animaliū: Quas, inquit, autē urticas appellant, non teſta operiūtur, ſed excluſæ omnino ſunt. ijs quæ in genera diuiſimus ancipiti natura, hoc genus eſt ambigens & plātæ & aīali. abſolui enim & eſcā petere nōnullas, & ſen-

tire occurrentis poſſe, atque etiam aſperitate corporis uti ad ſe tuendum, animalis eſt. Spongiam autem plantæ natura ſimilem fecit, his uerbis: Vertibula autē parum ſua natura à plantis differunt: ſunt tamen ſpongijs uiuaciora, quippe cum ſpongiæ uires habeant plantæ. natura enim continue ab inanimatis ad animalia tranſit, per ea quæ uiuant quidem, ſed non ſint animalia, ita ut parum admodum differre alterum ab altero uideatur propter ſuam propinqui!atem. Spongia igitur (ut dictum eſt) cum adhærendo tantū uiuere poſsit, abſoluta autem nequeat uiuere, ſimilis plantis omnino eſt. Vrticæ noctu uagantur.) Ariſtoteles primo de hiſtoria: Sunt item quæ adhærere ſoleant, & quoties libuit abſolui, ut genus quoddam eius quă urticam uocamus, quippe cum nonnullæ ex ijs noctu abſolutæ paſcantur. & libro quarto: Vrtica etiam ſui generis cernitur, quippe quæ & adhæreat ſaxis, more nonnullorum inſectorum teſta, & interdū abiuncta uagetur. & libro quinto, Genus, inquit, duplex urticæ eſt. aliæ enim ſinuoſis adhærent, quæ nunquam ab ſaxis abſoluūtur. aliæ plana & litora amant, quæ ſuis abiunctæ ſedibus uagantur. Tacta uredinem mouet inſtar terreſtris herbæ quæ ab urendo urtica dicitur, quòd folia eius tacta acerrime urant, quod & Aelianus tradit. Carnoſæ frondis ijs natura, ut carne ueſcātur.) Legendum uidetur: carnoſæ frondes ijs natura, ut carne ueſcantur. ſcilicet quòd ijs ſint carnoſæ frondes. tum ex uetuſtis codicibus, tum etiam ex ſequentibus, uidelicet, Contrahit ergo ſe quammaxime rigens, at prænatante piſciculo frondem ſuam ſpargit, complectensq; deuorat. Ariſtoteles etiam quarto de hiſtoria, Nulla, inquit, urticæ teſta. ſed corpus omni ex parte carnem præ ſe fert. Sentit, & manum admotā corripit, adhæreſcitq; perinde ac polypus ſuis brachijs, ita ut caro intumeſcat. os medio in corpore continet, & de ſaxo quaſi de teſta uiuit, & prænatātes piſciculos excipit retinetq;, ſicut manu admota hominis agi dictum eſt, deuoratq; in hunc modum quæcunque nacta eſt eſculenta. Aliâs marcenti ſimilis.) Ariſtoteles ibidem, Duplex, ait, genus percipitur urticarum, alterum corpore paruo, quod cibo aptum eſt. Alterum maiuſculo duroq;, quale circa Euboiæ Chalcidem gigni ſcimus. Sunt omnes hybernis menſibus carne conſtante, atque rigidiuſcula. quamobrem per id tempus capiuntur, ciboq; idoneæ ſunt. At æſtate rareſcunt, & reſoluuntur: præmadent enim & marcent, ut ſi tetigeris, facile diſcerpantur atque diſpereāt. Denique nulla tantiſper euelli integra poteſt, ac æſtus impatientia ſaxa ſubire interius ſolent. Eadem no:tu pectines & echinos perquirit.) Ariſtoteles eodem loco: Abſolui etiam ſaxis genus quoddam urticæ notatum eſt, quod & echinos & pectines in quos offenderit, corrodit. Dum a lmoueri ſibi manum ſentit, colorem mutat, & contr.ahitur.) Idem, uti retulimus, in eodem loco: Sentit, inquit, & manum admotam corripit, adhæreſcitq; perinde ac polypus ſuis brachijs, ita ut caro intumeſcat. Ora ei in radice eſſe traduntur, excrementa per ſumma tenui fi;tula reddit.) Idem quoque author præallegato loco, Os, inquit, medio in corpore urtica continet. Et octauo eiuſdem hiſtoriæ: Vrticæ piſciculis forte incidentibus ueſcuntur: os in medio habent, quod in maioribus euidentius eſt. Meatum etiam, ut oſtreæ, quo excrementum ſecedat, habet parte ſuperiore. Quidam urticas cum uertibulis eaſdem eſſe tradunt, ſed error eſt. Spongiarum tria genera accipimus, ſpiſſum ac prædurum & aſperum, tragos id uocatur.mbuus ſpiſſum & mollius, manon. tenue denſumq;, ex quo penicilli, achilleum.) uerborum ſententia hæc eſt, ſpiſſum, ac prædurum, & aſperum, ut unum genus ſpongiarū tragos appellatū intelligas. Alterū minus ſpiſſum, & mollius, manon uocatū. tertiū te-

nue

*nue denſumque, achilleum cognominatum. Ariſtoteles quinto de hiſtoria, Genus, inquit, ſpon-
giarum triplex ſtatuitur: nam aliæ raræ, aliæ ſpiſſæ, aliæ quas nominant achilleas. Tenuiſſi-
mum genus id tertium, & ſpiſſiſſimum & ualidiſſimum eſt, quod galeis ocreiſq; inſeritur:
eoq; minus ciere ſtrepitum poſſe notatum eſt. genus hoc inuentu perquam rarum eſt. Quæ
autem in genere illo ſpiſſo prædurę ſunt atq; aſperæ, nomine tragæ, hoc eſt hirci nuncupan
tur. Spongia græce ſpongos appellatur, itemq; ſpongia, ut dicunt attice. Spongiarum gene-
ra, ut Dioſcorides & Plinius referunt, ita diſtinguũt, alias ex ijs mares exiſtimari fiſtula te-
nui ſpiſſioreq;: item è maribus duriores alias, quas appellant tragos: alias fœminas notis con
trarijs. Naſcuntur omnes in petris, aluntur conchis, piſce, limo.) Ariſtoteles eodem libro,
Spongiæ quidem omnes aut ad ſaxa naſcuntur, aut iuxta litus: lutoq; aluntur: cuius rei argu-
mentum eſt, quòd captæ limo refertæ omnes cernuntur: quod certe indicat, cæteris quoq; ad-
hærentibus cibum per ipſum annexum hauriri. imbecilliores propterea ſunt ſpiſſæ quàm
raræ, quia minus altæ radicis hæſu innituntur. Intellectum ineſſe ijs apparet, quia ubi auul
ſorem ſenſere, contractæ multo difficilius abſtrahuntur. hoc idem fluctu pulſante faciunt. ui-
uere eſca, manifeſtò conchæ minutæ in his repertæ oſtendunt.) Ariſtoteles eodem loco: Sen-
ſum & ſpongijs eſſe aiunt, argumento, quòd ad euulſoris acceſſum contrahuntur, ita ut euel
li difficile ſit: quod idem etiam faciunt quoties flatus tempeſtaſq; urget, ne ſua de ſede pellan
tur. quod item primo de hiſtoria retulit, his uerbis, Quin etiam ſpongia ſenſum habere ali-
quem creditur, argumento, quòd multo difficilius abſtrahatur niſi clanculum agatur, ut refe-
runt auulſores. Maximæ fiunt manæ, ſed molliſſimæ circa Lyciam, in profundo autem nec
uentoſo molliores, in Helleſponto aſperæ, denſæ circa Maleam. putreſcunt in apricis locis,
ideo optimæ in gurgitibus.) Ariſtoteles, magnitudine ampliſſima ſolutæ illæ & raræ ſpon-
giæ augentur, plurimæque circa Lyciam ſunt, ſed molliſſimæ quæ ſpiſſæ: nam achilleæ to-
roſiores his conſtant: omnino quæ altis tranquilliſq; inſunt gurgitibus, molliſſimæ ſunt. Fla-
tus enim ac tempeſtates ſpongias quoq; ut cætera altilia reddunt duriores, & incrementum
impediunt. Quamobrem ſpongiæ Helleſponti ſpiſſæ ac duræ ſunt, & omnino quas mare ul-
tra Maleam promontorium citraq; fert. Differunt inter ſe mollitie, duritieq;. nec calorẽ im-
modicum ſpongiæ patiuntur. Fit enim eo, ut more pullulantium putreſcant. quocirca optimæ
iuxta oras comperiuntur ſpongiæ, ſi gurgite alto demerſæ ſunt. commode enim temperan-
tur propter altitudinem gurgitis. eſt autem Malea promontorium, quod nunc caput Ma-
leum appellamus. Viuentibus idem qui madentibus nigricans color.) Ariſtoteles ibidem:
color illotis uiuiſq; nigricans eſt. Adhærent nec parte, nec totæ: interſunt autẽ fiſtulæ quæ-
dam inanes, quaternæ ferè aut quinæ, per quas paſci exiſtimantur. ſunt & aliæ, ſed ſupernè
concretæ, & ſubeſſe membrana quædam radicibus earum intelligitur.) Ibidem Ariſtoteles,
adhærent, nec parte, nec toto. interſunt enim fiſtulæ quædam inanes, ſed pluribus paſſim par
ticulis hæſitant, & quaſi membrana extenta ſubeſſe radicibus earum uidetur. ſupernè au-
tem cæteri meatus concreti propemodum latent. at uero quaterni aut quini patent, per quos
paſci exiſtimantur. Peſſimum omnium genus earum eſt, quæ aplyſiæ uocãtur, quia elui non
poſſunt.) Idem author eodem loco, Genus item aliud eſt, quod nomen aplyſias inde accepit,
quia nunquam lauetur, quaſi illotariam uoces. habet hoc ampliores illos meatus, ſed reliquo
toto corpore denſum eſt, nihilo tamen denſius, quàm quæ antè enumerauimus genera: quan-*

quam lentius, & ex toto pulmoni ſimilius cernitur. Theophraſtus uero ſpongias quaſdam plyſias uocauit de plantarum hiſtoria libro quarto.

EX CAPITE XLVI.

Canicularum maxima multitudo circa eas urinantes graui periculo infeſtat.) Canicularum piſcium duo uidentur eſſe genera, alterū è galeorum genere inter chartilaginea, ore non in roſtro, ſed infra parte ſupina denticulato, canicula etiamnum Venetis appellatum. Alterū uero, de quo meminit hic Plinius, ore in roſtro, dentatoq; dentibus retrouerſis, hoc eſt introrſus ſpectantibus. piſcem hunc Theophraſtus quarto de hiſtoria plantarum Carchariam uidetur appellaſſe, Theodoro caniculam interpretante. Ambo quidem malefici, uerum hic eſt primo maleficentior. De Carcharia Columella libro octauo, Cum ſcombri, inquit, carchariæ, & elacatenæ uentriculos, & ne per ſingula enumerem ſalſamentorum omnium purgamenta quæ cetariorum officinis euerruntur. quanquam carchari pro carchariæ, & elacatæ pro elacatenæ deprauate legitur. De elacatena Plinius, Feſtus & Athenæus: & eſt piſcis ſalſamentis idoneus. Sed & canem marinum carchariam dici nonnulli uoluerunt, à cane pontico longe diuerſum, cuius Strabo meminit libro primo. Thynni enim, inquit, cum gregatim præter Italiam acti elabuntur, & Siciliam attingere prohibentur, in maiores incurrūt beluas, utputa Delphinos, canes, aliasq; balenis ſimiles, è quorum uenatione canes & galeotas pinguſcere, quos Xiphias, id eſt gladios appellari ferunt. Fuit etiam marinus canis carmine Homeri celebris, cuius fruſta Romæ thuriani pulmenti nomine uendebantur tribus obolis in libras Rutilij Ruffi ætate, qui res geſtas populi Romani cōdidit. De cane item marino meminit Aelianus, & Canicula eſt cæleſte ſignum omnibus notum. Protendunt quidem tridentes illi.) Scribendum uidetur alij non illi ex uetuſtis codicibus.

EX CAPITE XLVII.

Certiſsima eſt ſecuritas uidiſſe planos piſces, quia nunquam ſunt ubi maleficæ beſtiæ, qua cauſſa urinantes ſacros appellant eos.) Sunt hæc præcedenti capiti referenda. nam ad caniculas pertinent. Quod autem hic Plinius inquit planos piſces non eſſe ubi maleficæ beſtiæ ſunt, & cætera, Ariſtoteles ſimiliter uidetur de Anthia piſce naturalis hiſtoriæ nono libro retuliſſe. quo in loco, inquit, anthias ſit, nullam ibi beluam eſſe confeſſum eſt. quo iam indicio ſecure ſpongiatores urinantur, & ſacrum hunc piſcem ob eam rem nominant, de quo Plinius infra meminit. Silicea teſta incluſis fatendum eſt nullum eſſe ſenſum, ut oſtreis.) Oſtrea concharum generis nobiliſsima aſperam ſcabramq; teſtam habent, inter lautiſsimos recepta cibos, laudabiliora quæ capiuntur ubi dulcis admiſcetur aqua, ut quæ in dulci portu capiuntur, qui nunc portus Phanarius appellatur, quem intrat amnis Acheron ex Acheruſia palude profluens: & quæ in lacu Lucrino depaſta optimum habeant ſaporē, quod docuit Sergius Orata. quāobrem excogitatū eſt, ut aliunde aduecta in Lucrino compaſcerentur. unde Martialis, Oſtrea tu ſumis ſtagno ſaturata Lucrino. Variant coloribus, ruffa in Hiſpania, fuſca in Illyrico, nigra & carne & teſta Circeijs. Præcipua uero habentur in quacunq; gente ſpiſſa, nec ſaliua ſua lubrica, craßitudine potius ſpectanda quàm latitudine, neq; in luto capta, etſi Veneti ea cæteris antecellere opinentur, neq; in arenoſis, ſed ſolido uado, ſpondylo breui atque non carnoſo, nec fibris laciniosō, ac tota in aluo. Addunt peritiores notam, ambiente purpureo crine fibras, eoq; argumento generoſa interpretantur, calliblephara appellantes.

pellantes. Multis eadem natura quæ frutici,ut holothurijs,pulmonibus,ſtellis.)Hæc aſſumpta eſſe uidentur ab Ariſtotele quarto de partibus animalium.inquit enim:Holothuria autem parum ſua natura à plantis differunt. & paulò infra: Quæ autem holothuria uocant, & pulmones,atq; etiam plura huiuſmodi alia in mari,parum ab ijs differunt,ſua ipſa abſolutione.uiuunt enim ſine ullo ſenſu,perinde ac plantæ abſolutæ.nã & in terreſtribus plantis ſunt nonnulla eiuſmodi quæ & uiuant & gignantur aut in alijs plantis, aut abſoluta, quale etiã eſt quod modo Parnaſus fert uocatũ à quibuſdam epipetrum.hoc enim diu uiuere poteſt ſuſpenſum.& holothurium igitur,& quicquid generis eiuſdem,ſimile plantæ eſt,quia adhærendo tãtummodo uiuit.Sed cum aliquid habeat carnis,ſenſum aliquem habere uideri poteſt. itaq; utró nam modo ſtatuẽdum ſit,incertum eſt.habet hoc animalis genus duo foramina,rimamq; unam,qua recipiat humorem cibo accommodatum, & qua rurſus emittat quantum humoris remaneat.nihil enim excrementi,ut cætera teſtata,hoc ſe habere oſtendit:ex quo fit potiſsimum,ut & hoc, & quicquid ſimile in animantium genere eſt, planta iure appellari poſsit.Itemq; paulò póſt,Stellarum,inquit,etiam genus ſimile eſt,quippe quod concharũ complures aggrediens exugat.quod idem octauo quoque de hiſtoria commeminit.Holothuria autem,quæ & tethya ab Ariſtotele & Plinio appellantur,Theodorus uertibula tubera & callos interpretatus eſt.Quæ ſic Ariſtoteles quarto de hiſtoria deſcribit: Quæ autem uertibula,ſiue callos ſpeciali nomine à tegminis qualitate appellamus,naturam inter hæc genera peculiarem ſortiri notum eſt.His enim ſolis corpus totum tegmento includitur, cuius durities inter teſtam & corium eſt Quamobrem modo præduri bubuli tergoris ſecatur. Adhæret ergo id genus ſaxis ſua teſta,duoq; ſepoſita inter ſe foramina exigua admodũ habet, & uiſum uix patientia,quibus humorem accipit & reddit.excrementum enim nullum in eo ſpectatur,quale in cæteris oſtreis uel echineum,uel quod appellant papauer continetur.diſiectis primum membrana neruoſa cruſta ambiente obtenta oſtenditur,qua uertibuli caro ipſa continetur,nulli è cæteris ſimilis,in omnibus tamen ſui generis eadem.Adhæret hæc utroque ex latere membranæ circundanti,& corio,& quà adhæret,arctius in partem utranque eſt,uidelicet quà tendit ad meatus ductos foras per cruſtam,quibus redditur & accipitur cibus & humor,quaſi alterum ſit os,alterum oſtium excrementi delegatum. nec modus idem, ſed alterum craſsius,alterum tenuius eſt,cauumq; intus,utrinq; exiguo quodam interueniente continuo:humorq; in altero conſiſtere ſolitus eſt:pars uero alia,quæ uel inſtrumentalis, uel ſenſualis ſit,nulla omnino percipitur,neq; excremẽtitium quicquã(ut dictum iam eſt) quo in cæteris more continetur.Color uertibulis aut pallidus aut rubidus eſt:uerum quæ rubida,cibo idonea ſunt:quæ pallida ſeu lutea,amarulenta.Quidam confundunt uertibula cum urticis, eadem eſſe uolẽtes:ſed error eſt,cum diuerſa omnino ſint.Vertibula enim teſta ſcabra ueluti corio teguntur,& pedibus carẽt,& immobilia ſunt.Vrtica uero, uti retulimus ex opinione Ariſtotelis,nullam teſtam habet,ſed corpus omni ex parte carnem præ ſe fert,& pediculos habet ut polypus,& ſaxis abſoluta uagatur.decepti forſitã uerbis Ariſtotelis octauo de hiſtoria dicẽtis,Nonnullorũ natura corporis carnoſa eſt,ut eorum quæ tubera appellantur, aut urticæ.ubi duo genera diſtincta non unũ intellexit,ut ſit ſenſus:Natura corporis nonnullorũ eſt carnoſa,ciuiuſmodi ea ſunt quæ tubera,aut ea quæ urticæ uocantur.Qui autem pulmones marini uocantur,ſponte proueniunt,& carne ueluti chartilagine quadam trãslucida

conſtant, forma rotunda ſuperne concaua, ut conchæ uideri poßint, cum natent, cirros emittentes ex imo, ad modum polypi. uulgo nunc potæ marinæ appellātur, de quibus Ariſtoteles & Plinius alibi. Stellæ uero comparantur ſtellis quæ pinguntur ſimilitudine, & ueluti echini ſpinoſæ: quæ ut ait Ariſtoteles quinto de hiſtoria, adeo natura calida eſt, ut omnia contacta protinus decoquat. piſcis is omnibus notus, ſuumq; adhuc retinet nomen. Et circumglobata eſcæ ſæpe extrahuntur: quæ cauſſa ſomnum piſcium in mari noctibus infeſtare exiſtimatur.) Ariſtoteles quarto de hiſtoria inquit, Piſces enim uel manu facile caperētur dum dormiunt, niſi pediculis & pulicibus appellatis ſolicitarentur. Nunc uero ſi ſomno dati immorentur, noctu ab innumera multitudine illarum beſtiolarum occupati abſumuntur. Gignuntur hæc in profundo maris tanta fœcunditate, ut etiam eſcam de piſce emolitam, ſi diu in uno manſerit, totam corrodant atque abſumant: & quidē ſæpenumero piſcator eſcam demiſſam glomeratis undiq; his beſtiolis perinde ut pilam recipit: qui quidem pediculi non in piſcibus ipſis, ſed limo gignuntur, ſimiles multipedibus aſellis, niſi quòd caudam pediculi ampliuſculam habeant. Genus pediculi marinum ſimplex unumq; eſt, ubique proueniens, ſed maxime in foraminibus & cauernis. inſecta hæc omnia ſunt, & multipeda, & exanguia. Maris autē quod à Cyrena in Aegyptum panditur, piſcis pediculus nomine circa delphinum eſt: qui omnium pinguißimus fit pabuli copia, quæ Delphini opera ſuppeditatur, ex eodem Ariſtotele quinto de hiſtoria. Quibuſdam uero ipſis innaſcuntur, quo in numero chalcis accipitur.) Ariſtoteles octauo de hiſtoria, Chalcis, inquit, uitio infeſtatur diro, ut pediculi ſub branchijs innati quàm multi interimāt, quod nulli ex cæteris accidit. Eſt autem Chalcis ærica à Theodoro latinitate donata: piſcis fluuiatilis carniuorus, qui quodammodo ſtridet, & ter in anno parit, gregatimq; ſua oua gurgiti altiori mandat congeſta. Chalcis item auis eſt, ex Ariſtotele nono de hiſtoria, quæ raro apparet. montes etenim incolit, nigro colore eſt, magnitudine accipitris quem Palumbarium nominant, forma longa ac tenui. Iones Cymindem eam appellant, cuius Homerus etiam meminit in Iliade, cum dicit: Chalcida dij perhibent, homines dicere cymindē. Sunt qui eandem hanc auem non aliam eſſe ac ptyngem uelint. interdiu minus apparet, quia non clare uidet, ſed noctu uenatur more aquilæ, & pugnat cum aquila adeo acriter, ut ſæpius ambæ implexæ deferantur in terram, & uiuæ à paſtoribus capiantur. Parit hæc oua duo, & in ſaxis ſpeluncisque nidulatur.

EX CAPITE XLVIII.

Nec uenena ceſſant dira, ut in lepore.) Leporem marinum Græci lagoon thalaßion uocant, animal puſillum, odore tetro. inter loligines ferè uerſatur, quibus & ſimilis eſſe dicitur, ut author eſt Dioſcorides. Venenum id eſt, ut & xxxij. uolumine Plinius ipſe teſtatur, alijs cibo, alijs pota, alijs uiſu. ſiquidem grauidæ ſi omnino aſpexerint, fœminam ex eo genere duntaxat, ſtatim nauſea & redundatione ſtomachi uitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio eſt mas ob id induratus ſale, ut in brachialibus habeāt. eadem res in mari & tactu quidem nocet. Veſcitur eo unum tantum animalium ut non intereat, mullus piſcis, & teneſcit tantum, & ingratior uiliorq; fit. Homines quibus in paſtu eſt, piſcem olent: hoc primo argumento ueneficium id deprehenditur. Cæterò moriuntur totidem diebus, quot uixerit lepus: incertiq; temporis ueneficium id eſſe author eſt Licinius Macer. Eſt & lepus terreſtris græce lagos, & lagoos cherſæos appellatus, cuius coagulum magnum habet in medicinis

dicinis uſum, præcipuè ad concipiendũ mares, ſi cibo ante conceptionẽ præſumatur. ut Hermolaum noſtrum iam liberatum pateat à falſa calumnia Marcelli, qui eum falſo accuſauit, quòd cum in Dioſcoride ubi de leporis coagulo agitur, ſumptum à puerperio abortiuũ eſt, interpretatus fuerit, ſterilitatem facere, non abortiuũ eſſe interpretari deberet, uti ipſe Marcellus fecit. quod eſt totum oppoſitum: non animaduertens Plinium libro uigeſimooctauo teſtatum reliquiſſe, coagulum leporis in cibo ſumptũ, mares cõcipi facere, his uerbis: ſi uuluæ leporum in cibis ſumantur, mares concipi putant: hoc & teſticulis eorum & coagulo profici. & quod magis ridiculum eſt, Hermolai uerba in caſtigationibus Plinianis exponit: nec ipſa quidem intelligit. Ait enim uigeſimooctauo libro, Eſt autem atocion quæcunq; medicina conceptũ adimit, hoc eſt partus ſpem intercipit. Non enim dixit conceptionem, ſed conceptũ, id eſt, fœtum qui iam conceptus eſt, adimit: hoc eſt, ut ipſemet exponit, partus ſpem intercipit, ceu fœtum qui conceptus eſt, peruenire ad partum impediat, & prohibeat: quod quidem non ſterilitatem, ſed abortum facere dicimus: quaſi conijcere liceat ex horum antiquorũ ſcriptorum uerbis, coagulum leporis ante conceptionem ſumptum mares concipi facere, poſt conceptionem uerò ſumptum abortiuum eſſe. Sed illum quoque alterum Marcelli errorem manifeſtari conuenit, quòd in eodem loco dorcadis capreæ, quam à latitudine cornuum platycerota dicunt, perperam & falſiſsime uerterit, cum rectius dorcadis platycerotis, ut Hermolaus, interpretatus fuiſſet. Non enim caprea eſt quæ platyceros græcè dicitur, ſed diuerſum omnino genus ex Plinio, uolumine undecimo, ubi de cornibus loquitur, tradẽte, Aliorum finxit in palmas, digitosq; emiſit ex ijs, unde platycerotas uocant. Dedit ramoſa capreis, ſed parua, nec fecit decidua. ex quibus manifeſtò apparet animalia hæc prorſus eſſe diuerſa. In indis & magnitudine, & pilo duriore. tantum uiuus ibi capitur) Plinius trigeſimoſecundo libro eodem loco negat in India capi uiuentem, his uerbis, In India affirmant non capi uiuentem. quod ueriſimilius eſt, tum quia id animal uiſu etiam uenenoſum eſt, tum etiam quia ſequitur, inuicemq; ibi hominẽ pro ueneno eſſe, ac uel digito omnino in mari tactum mori. Quare legendum exiſtimo: In Indis & magnitudine, & pilo duriore tantum, nec uiuus ibi capitur: quaſi uiuens pernicioſior ſit. & ſic non erit contradictio. Aeque peſtiferum animal Araneus, ſpinæ in dorſo aculeo noxius. Araneus piſcis eſt magnitudine Cobionis, aut paulo maior, colore uario: cuius dorſum prope caput tres aculeos habet noxios. ita etiã araneum hodie cognominant. Sed nullum uſquam execrabilius quàm radius ſuper caudam eminens trygonis, quam noſtri paſtinacam appellant) Trygon ſiue paſtinaca eſt inter chartilagnea plana, uti ſuperius indicauimus, quæ radium peſtiferum dentibus retrouerſis ſuper caudam gerit. nunc piſcem columbum uocitant. Eſt autem radius is tenuis, ac planus, deſinens in mucronem utroq; ex latere in modum ſerræ denticulatum denticulis retrouerſis. Quamobrem Dioſcorides dentibus rectius quàm ſquammis deſcripſiſſet. Quinetiam Marcellus coarguẽdus eſt in ſuo Dioſcoride affirmans ſibi ex antiquo nullo patere authore, quiſnã in ſedando dentiũ dolore uſus aculei paſtinacæ fuerit, cum id demonſtrauerit aperte Plinius. inquit enim trigeſimoſecundo uolumine: Dentium dolores ſedantur oſsibus draconis marini ſcarificatis gingiuis, cerebro caniculæ in oleo decocto adſeruatoq;, ut ex eo dentes ſemel anno colluantur. Paſtinacæ quoq; radio ſcarificare gingiuas & in dolore utiliſsimum.

EX CAPITE XLIX.

Morbos univerſa genera piſcium, ut cætera animalia etiam fera, non accipimus ſentire: uerùm ægrotare ſingulos manifeſtum facit aliquorũ macies, cum in eodem genere præpingues alij capiantur) Ariſtoteles octauo de hiſtoria, Morbus, inquit, peſtilens nullus incidere piſcibus uniuerſis uidetur, qualis plerunque hominibus, & quadrupedum equis & bubus, & reliqui generis nonnullis accidit tum feris tum urbanis: ægrotare tamen & ipſi putantur: & quidem piſcatores pro morbi indicio capiunt, cum aliquot extenuatos languẽtibus ſimiles, & colore immutatos inter multos pingues ac ualidos eiuſdem generis ceperint.

EX CAPITE L.

Piſces attritu uentrium coeunt tanta celeritate, ut uiſum fallant: Delphini & reliqua cete ſimili modo, ſed paulo diutius) Ariſtoteles tertio de generatione animaliũ: In piſcibus quoq; ſexus diſcrimen maris ac fœminæ eſt, omnesq; coeunt, niſi ſexus alicui generi ſit indifferens: & ſine maris genitura nihil ex iis poteſt generari. Facit enim celeritas coitus piſciũ, ut eius opinionis authores decipiãtur. Tanta enim celeritate rem ueneream peragunt, ut etiã piſcatores complures lateant. nemo enim eorum aliquid tale cognitionis gratia obſeruat. Verumtamen coitus uiſus eſt. eodem enim modo quo Delphini, piſces etiã coeunt, admouẽdo ſupina per lapſum, quibus impedimento cauda eſt: ſed Delphinorũ adiunctio diuturnior eſt, piſcium uerò huiuſcemodi celerrima eſt. Itaque cum eam non cernant, captu ſiue uoratu ſeminis & ouorum, quem exploratũ habent, mouentur uel piſcatores ut ſtultam illam & uulgarem rationem de conceptione piſcium afferant, quam & fabulator Herodotus ſcribit: quaſi ſeminis deuoratu piſces impleãtur. nec uident id fieri non poſſe. meatus enim qui per os introtendit, in uentriculum fertur, non in uuluam &c. Quod & quinto de hiſtoria retuliſſe etiam uidetur his uerbis, Sed omnia chartilaginea hunc in modum coire apertius notatũ à pluribus eſt. morantur enim in coeundo diutius omnia quæ animal generant, q̃ quæ oua: Delphinis quoq;, omniq; cetario generi hic idem modus eſt coeundi. planis enim admotis partibus agunt: nec parum multúmue temporis, ſed mediocre in coitu ipſo conſumunt. *Fœmina piſcis coitus tempore marem ſequitur, uentrem eius roſtro pulſans: ſub partu mares fœminam ſimiliter, oua ueſcentes earum)* Ariſtoteles eodem quinto de hiſtoria, Piſcium, inquit, oua parientium coitus minus patet: quamobrem complures fœminas prolificum maris uorando impleri crediderunt. id enim fieri ſæpius cernitur. nam tempore coitus fœminæ mares ſequentes id faciunt, uentremq; eorũ ſuis percutiunt roſtris: quo etiam fit ut mares ſemen & celerius fundant, & largius: tempore autem partus mares fœminas ſequẽtes, quæ illæ oua ediderint, ipſi mordicus uorant. *Nec ſatis eſt generationi per ſe coitus, niſi editis ouis inter ſe uerſando mares & fœminæ uitale aſperſerint uirus)* Ariſtoteles tertio de generatione animalium, At uerò mas, inquit, ouiperi generis, ut fœmina oua præ multitudine reponit, ſic ipſe ſpargit. plus enim ſeminis habet, quàm ſatis ad coitum ſit. tendit enim natura potius abſumere ſemen id ad augenda oua repoſita, q̃ ad primam conſtitutionem. nam ut & ante & modo diximus, oua auium intus perficiuntur, piſcium extra. ſimilis enim quodam modo generatio atque in uermiperis eſt, quanquã imperfectiorem edunt conceptum quæ uermem pariunt. ſed utriſq; tam auium quàm piſcium ouis perfectionem mas adhibet: uerùm auiũ intus, cum intus perficiantur: piſcium extra, cum hæc imperfecta edantur: nam aliàs idem utriſq; contingit.

EX

EX CAPITE LI.

Piſcium oua in mari creſcunt quædam ſumma celeritate, ut murenarũ) Ariſtoteles quinto de natura animaliũ, Non deſunt, inquit, quæ omnibus anni temporibus pariũt, ut murena, cuius partus & numeroſior eſt, & quæ prodierint, ex paruo celeri incremento adoleſcunt. Cauſſam autẽ celeris ouorũ piſcium incremẽti tertio de generatione animaliũ reddit. *Plani piſcium quibus cauda non obeſt, aculeiq́; ut teſtudines & raiæ, in coitu ſuperueniunt)* De teſtudine Ariſtoteles quinto de hiſtoria ſic ait: Quin etiam pedeſtriũ quadrupedes quæ oua pariũt, eodem coeunt modo quo ea quæ animal generant, mare ſuperueniente, ut teſtudo tam aquatilis, q̃ terreſtris. De raia uero ſic paulò pòſt loquitur, Plani aut chartilaginei generis, ijdemq́; habentes caudam, ut raia, paſtinaca, & reliqua huiuſcemodi, non ſolum admotis ſupinis, ſed etiã tergo fœminarũ ſupinus marium ſuperpoſitis, modò cauda impedimento nullo ob craßitudinem ſit, coeunt. *Polypi crine uno fœminæ naribus annexo)* Ariſtoteles eodem quinto de hiſtoria, Mollia, inquit, ut polypi, ſepiæ, loligines, modo eodem omnia coeũt. oribus enim inuicem admotis, complexuq; mutuo brachiorũ libidinem explent. ergo polypis coitus cum alter capite uulgo appellato in terram uerſo, nitibundoq́; explicat porrigitq́; ſua brachia: alter ſuperuenit, paßisq́; brachijs ſingulis ad ſingula ſubiacentis acetabulorũ conceptu mutuo adhæreſcit. Marem etiã nonnulli aiunt gerere quod genitalis ſpeciem referat, ſuo brachio in quo duo amplißima acetabula habentur. neruo id quaſi conſtare porrectũ ad mediũ uſq; brachiũ confirmant, totumq́; nari fœminæ annecti. *Sepiæ & loligines linguis, componẽtes inter ſe brachia, & in contrarium nantes, & pariunt ore)* Legendum uidetur, complectentes inter ſe brachia, non componentes, ex Ariſtotele eodem loco. Inquit enim, Sepiæ ac loligines ora applicãtes, & brachia inter ſe cõplectentes, natantesq́; in aduerſum coeunt, narem etiam dictam in narem inſerunt. natatus alteri anteuerſus, alteri in os agitur. Pariunt ea ſui corporis parte, quæ fiſtula dicitur, qua & coire eas arbitrantur. Et primo etiã de generatione animalium, Mollia, inquit, ore coeunt, renixu complexuq́; mutuo brachiorũ. *Sed polypi in terrã uerſo capite coeunt)* Cum polyporũ coitum paulò ſuprà ex ſententia Ariſtotelis quinto de hiſtoria explicuerim, rurſus idem repetere ſuperuacaneũ uiſum eſt. *Reliqua molliũ tergis, ut canes)* Ariſtoteles primo de generatione animaliũ, non excipiendo aliquem, ſic inquit: Interdum tergis quoq; mollia copulantur, ſed generationis ne gratia an alia cauſſa, nondũ exploratũ habetur. *Item locuſtæ, & ſquillæ, cancri ore)* Ariſtoteles quinto de hiſtoria ſic. Genera cruſta operta, ut locuſtæ, gãmari, ſquillæ & huiuſmodi reliqua more quadrupedum retro mingentiũ coeunt, ſcilicet ut fœmina caudam ſupinã exponat, mas ſuam ſuperponat & applicet. coire ſolent ineunte uere iuxta terrã. Iam enim coitus omniũ id genus exploratus eſt. interdum etiã cum ficus matureſcant, coire incipiunt. Hoc eodem modo gammari quoq; & ſquillæ coeunt. Cancri parte priore copulãtur, ſua opercula loculoſa illa rugoſaq́; mutua conſertione componentes. Primũ cancer minor ab auerſo ſuperuenire ſolet, tum maior, ubi ille ſuperuenerit, uertit in ſe latus. Nulla re differt fœmina à mare, niſi quòd operculum applicatile illud amplius & diſtantius & hirſutius fœminæ gerant, in quo oua pariũt, & quà egerũt excrementũ: membrũ autẽ quod mas in fœminã inſerat, nullũ omnino habetur. *Ranæ ſuperueniunt prioribus pedibus alas fœminæ mare apprehendente, poſterioribus clunes)* Loquitur hic de ranis paluſtribus nõ marinis, quæ linguã ſui generis habẽt.

pars enim prima quæ cæteris abſoluta eſt, ijs cohæret, modo quo ferè tota piſcium: intima uero abſoluta ad guttur applicantur, quà ſuam uocem ſolent emittere. & quidem genus illud ululatus, quam ololygnem nominant, mares intra aquam reddunt, ut cieant ad coitum fœminas, maxillæ inferioris labro demiſſo pari libra cum aqua modice recepta in fauces, ſuperioreq; intenta. flagrant tantiſper oculi modo lucernæ, cum ſinus buccarum maxillis diſtentis interluceat. Coitum enim noctu magna ex parte agere uiſuntur. Itemq; oua parere, non animal, etiam ſi Plinius partus earum minimas carnes nigras, hoc eſt gyrinos uocauerit. Sunt enim ranæ inter quadrupedes ouiperas ex Ariſtotele de hiſtoria libro ſecundo. Ait enim: In quadrupedibus etiam ouiperis ſimilis ratio eſt. nam ea quoq; admodum exiguum habēt lienem: ut teſtudo, mus aquatilis, rubeta, lacerta, crocodilus, rana. Et libro tertio, Quadrupedũ quoq; ouiperarum, inquit, hæc eadem ratio uuluæ eſt, ut teſtudinis, lacertæ, ranæ, & reliquorum generis eiuſdem. Ranarum genus multiplex, ut referunt authores, de quibus aliâs dicemus. Sunt enim aliæ uocales, aliæ mutæ, aliæ paluſtres ſiue aquatiles, aliæ terreſtres, quæ in humore etiam degunt, ut rubetæ aſperæ & uenenoſæ lapidem in capite gerentes, quem ad dolorem ilium anulis geſtant: & rana marina diuerſum omnino genus ab his, uti ſupra retulimus: ut aberrare uideatur Marcellus, qui ranam marinam eiuſdem generis cum paluſtribus fecit, cum Dioſcoridem exponendo dixit, Habent aliæ ranæ legitimo naturæ ordine in aquis ſuos natales: nec mare tantum, ſed profluētes omnes, & paluſtres aquas incolunt. *Et mytuli, & pectines ſpōte naturæ in arenoſis proueniũt)* Ariſtoteles aliter ſentire uidetur tertio de generatione animaliũ, his uerbis: Natura teſtati generis conſiſtit partim ſpōte, partim aliqua ab ipſis emiſſa facultate, quanquã ſæpenumero ea quoq; ſpontina oriãtur conſtitutione. ſed generationes plantarum accepiſſe hoc loco congruit. oriuntur enim earum aliæ ſemine, aliæ auulſione, nonnullæ etiã ſobole, ut cepe. hoc igitur tertio modo mytuli gignuntur, quippe qui minores ſubinde iuxta principium adnaſcuntur. buccina, & purpuræ, & quæ fauare dicuntur, quaſi à ſeminali natura humores quoſdam mucoſos emittunt. ſemen uero nullum eſſe eorum putandum eſt, ſed quo diximus modo plantis aſſimulantur: quamobrem larga eorum copia prouenit, cum primum conſtiterit aliquid. hæc enim omnia uel ſponte ut oriantur euenit: itaq; ratione tunc magis cum origo præceſſerit, conſiſtunt. aliquid enim excrementi ſingulis proficiſci credendum merito eſt ab eo principio, cui ſoboles quæq; adnaſcitur. Sed cum ſimilem habeant facultatem cibus excrementumq; cibi, fauantium ſubſtantiam ſimilem eſſe conſtitutioni primæ conſentaneum eſt: quapropter excremēto hoc gigni probabile eſt. Quæ autem uel ſobolem nullam procreant, uel non fauant, eorum omniũ ortus ſpontinus eſt. Cum igitur dicat eorum quæ ſobolem nullam procreant, uel non fauant, ortum ſpontinũ eſſe, mytuli qui ex ipſo Ariſtotele ſobole generantur, & fauificare ſoliti ſunt, ut quinto de hiſtoria ſcriptum eſt, non ſponte prouenient. Qui autem eſſent mytuli, quiue pectines, ſuperius indicatum eſt. *Vt murices, purpuræ, ſaliuario lentore)* Saliuarium lentorem appellat mucoſam illam congeriem fauaginem dictam, quam purpuræ & murices ſiue buccinæ conſtruũt. Vbi etiam comprehenditur Plinium muricem pro ceryce, hoc eſt buccino accepiſſe. Hæc enim duo genera, purpura ſcilicet & buccinum, fauificare ſolita ſunt, ex Ariſtotele quinto de hiſtoria. *Sicut aceſcente humore culices)* Intelligit culices uinarios, qui ex Ariſtotele quinto de hiſtoria ex uermiculis qui fece uini aceſcente gignuntur, originem trahunt. nam culicum

plura

plura ſunt genera. alij uinarij, ut dictum eſt. alij muliones uocati: qui ex aſcaridis hoc eſt tipulis generãtur, quos etiã procul ſentire Ariſtoteles tradit: alij ſunt ficarij culices, quos Ariſtoteles pſenas ionica uoce appellauit, etiã ſi legatur corruptè pſeras, quod Hermolaus Barbarus literis homo multis, & in perquirẽdis ueterũ monumentis diligens & accuratus animaduertit. Atq; etiã poëtæ cũ pſenes dicũt, caluos & glabros intelligunt, ut eſt apud poëtã Simonidam. qui quidem culices pomis caprifici egrediuntur, ſed ex putreſcẽtibus eorundem granis gignuntur: cuius indiciũ afferunt, ꝙ poſtq̃ euolauerunt, grana ficubus nulla penitus inſunt. euolant magna ex parte pedem aut pennam relinquentes in pomo, rurſusq́; eaſdem ſubeunt caprificus. generãtur hoc modo. fit primũ uermiculus, mox rupta cute euolat culex, mutataq́; ſede petit ficus immaturas, quibus ſe inſinuans facit ne decidant. quãobrem agricolæ appendere ficis caprificus, & iuxta eaſdem caprificos ſerere aſſolent. Gignuntur autem quia caprifici maturare atq; perficere nequeãt. Vt enim in cæteris putreſcentibus genus aliquod animalis concreſcit, ita etiã in his uiuifica quædã natura. Sed cum alimento careant, quærãtq́; quod ſibi conueniat, ferũtur ad id auide quod ſimile eſt. omnibus enim rei cognatæ deſideriũ natura inijcit, quemadmodum & pediculis ſanguinis, ex quo putrefacto naſcũtur. cum autem morſu crebro culices ora ficuũ aperuerint, humorem abſumunt ſuperuacuũ, & aditum liberum aëris præbent, & omnino poma ſpirantia efficiunt. euenit enim ut cum calore illo conficiente ſpiritus quoq; aliquid interſeratur, ut in his euenit quæ igne coquuntur, quo ſpiritu ſemoto unà cum humore exactoq́; fructus permanent. Eſt uel alterum culicũ genus apud Theophraſtũ & Plinium centrine uocatũ, quod ocioſe uiuit, quemadmodum fuci inter apes: & quos ex altero genere ſua poma ingreſſos aſpexerit, protinus necat, id uero ſuis moritur operculis. Quin & poliũ culices gignit, cum copioſe fructificat. & ulmi folliculis genus quoddam beſtiolarũ innaſcitur culicum figura, quod Cnipes appellant, qui cum in ficis gignũtur, ficarios illos culices deuorant. Huius remediũ cancros ſtatuunt alligãdos. in eos enim uertere ſeſe culices inquiunt, ſed ficis quidem auxilia iſtiuſmodi comperta habẽtur. Culices acida petunt, ad dulcia non aduolant, ex Plinio lib. 10. Hortos quoq; riguos infeſtant, præcipuè ſi ſunt arbuſculæ aliquæ. hi galbano accenſo fugantur, ac lupinorũ crematorũ gytq́; ſuffitu necantur. Hos generali nomine, & alios uermiculos paruos alatos culices appellant. Græci conopas uocant, unde conopeum uocitatum eſt tentorium ad arcendos culices cõtextum, quod ſupra lectum explicari conſueuit. His dictis duæ ſuperſunt quæſtiones, prima, quòd Ariſtoteles de animaliũ hiſtoria lib. 5. ait: Culices muliones dicti ex tipulis generantur, & qui uinarij uocantur, ex uermiculis originem trahunt: & primo de generatione animaliũ dixit culices ex animalibus non generari. Quid igitur? contradicit ipſe ſibi Ariſtoteles? nónne & tipulæ & mermiculi animalia nuncupantur? Dicendum quòd duplex eſt generatio, ſui generis, & non ſui generis. & ſic quãdo primo de generatione animaliũ inquit, Culices neq; ex animalibus naſcũtur, ſenſus eſt quòd non generãtur ex animalibus quæ ſunt cognati generis. hoc eſt, culices ex culicibus nõ generãtur: non enim coeunt culices. & quinto de hiſtoria uult dicere quòd culices naſcuntur ex uermiculis qui non ſunt ſui generis. quod patet: Nam culices dicti muliones, ex tipulis, quæ non ſunt ſui generis, enaſcuntur: & tipulæ ferè in puteis, & ubicunque aqua ſe colligit, terrena ſubſidente concretione oriuntur, ſic ut principio fex ipſa putreſcens colorem candicantẽ trahat, mox nigricãtem, poſtremo cruen-

tum:talis cum fuerit,minutiſsima quædam & rubra ſpecie algulæ prodeunt, quæ ad tempus hærentia ſuæ origini mouentur,deinde abſoluuntur,itaq́; feruntur per aquam tipulæ nuncupatæ,tum paucis poſt diebus erigunt ſe ſuper aqua duræ,atq; immobiles: mox diruto putamine culex emergit,ac inſidet,donec uel ſole uel flatu moueatur,& uolet. Commune omniũ uermium eſt,& corũ quæ ex uermibus proueniunt animalium, ut primordium generationis aut à ſole aut ſpiritu præſtetur,ſed copioſius ac celerius fiunt tipulæ in aquis, quarum ſedimentum uarium atq; promiſcuum ſit,quale in agro Megarico(ut Ariſtoteles tradit)in operis ſolet miſceri.putreſcit etenim hoc facilius.& autumno quoq; uberius generantur:minus enim humoris eſſe tunc accidit.Aſilus quoq; ex culicibus paluſtribus, & latiuſculis quibuſdam beſtiolis quæ in fluuijs ſupernatant,enaſcitur:quamobrem magna aſilorum copia circa aquas ubi id genus beſtiolarum eſt.Ex erucis quibuſdam corpore piloſo, non grandi primũ cicindelæ clunium fulgore nomine indito,fiunt non uolucres,quibus deinde mutatis pennigera animalia gignuntur.Quin etiam ſuperæ & aciæ dictæ quibuſdam eiuſmodi alijs generantur erucis quæ undent ingreſſu.parte enim innitentes priore contrahunt ſeſe adducentes poſteriorem,arcuatimq́; incedunt.uerùm quæq; orta ſibi colorẽ à ſua eruca trahunt.Pleraq; alia in medium afferre exempla poſſem,ſed hæc ſufficiãt. Altera quæſtio eſt,quòd uidetur Plinius ſibi ipſi contradicere per ea quæ ſupra retuli ex ſententia ipſius, ſcilicet culices acida petere, ad dulcia non aduolare,quod accepit ab Ariſtotele quarto de hiſtoria: & lib.undecimo Plinius ipſe culices ſanguinẽ potiſsimũ humanum appetere tradidit. Sanguis autem ex Ariſtotele tertio de hiſtoria,& quarto de partibus animaliũ,dulcis eſt. ergo culices dulcia appetunt.Dicendum quòd Plinius quando dixit,Culices acida petunt, ad dulcia non aduolant,puta flores,mel,& huiuſmodi alia quæ in ſe dulcedinis aliquid continent: quẽadmodum apes,quæ ad dulces aduolant flores.quod elici poteſt ab Ariſtotele eodẽ quarto de hiſtoria.Nec cruor ille quẽ culices attrahũt,dulcis eſt,quia ſanguinis pars dulciſsima leuiſsima ac puriſsima tota ad corpus nutriendũ aſſumpta interius eſt. quæ uerò alieniſsima crudiſsima ac putrida eſt,quoniã nec apta nutritioni eſt,ſegregatur,atq; ad ſumma corporis euenit: quo fit,ut puſtulæ extra corpus erumpãt.quod igitur putridũ,ſalſum eſt, quoniam ſalſedinis cauſſa putrefactio eſt.Gal.febriũ ſecundo.quod autẽ ſalſum & putridũ eſt,tẽpore ꝓcedente propter conſumptionem maiorem in humiditate factam efficitur amarũ,quod & in ſudore etiam euenit. Quæ uerò ſiliceo tegmine operiuntur,ut oſtrea,putreſcente limo aut ſpuma circa nauigia diutius ſtante defixosq́; palos,& lignũ maximè) Ariſtoteles tertio de generatione animaliũ, omne autẽ,inquit,genus teſtatũ ſponte inſtitui,hoc eſt ſine coitu, apertũ hinc eſt,quòd nauigijs putreſcẽte fece ſpumoſa adnaſcũtur,& locis multis, ubi nihil tale aderat ante,poſt per inopiam humoris facto cœno oſtreæ prouenerunt, ut apud Rhodum inſulam cum claſsis & fictilia proiecta eſſent in mare,tempore poſt cœno obducto teſtis oſtreæ in ijs reperiebantur. Anguillæ atterunt ſe ſcopulis,ea ſtrigmenta uiuiſcunt, nec alia eſt earum procreatio) Ariſtoteles aliter ſentire uidetur ſexto de hiſtoria cum dicit, Anguillæ nec per coitũ procreãtur,nec pariunt oua,nec uero capta unq̃ aliqua eſt quæ aut ſemen genitale, aut oua haberet.Meatus quoq; uel ſemini uel uuluæ accommodatos nulla reciſa oſtendit,ſed hoc unum inter ſanguinea genus totum ſine coitu ſine ouo procreatur: quod ita eſſe argumento conſtat,quòd in nonnullis feculentis ſtagnis aqua omni exhauſta, & limo detracto anguillæ

denuo

denuo generantur, ubi aqua acceſſerit pluuia. nam ſiccis temporibus gigni nequeunt etiam in lacu perenni, quippe quæ imbre & uiuant & alantur: ſed hoc genus non coitu, nō ouo creari apertum eſt. Videntur tamen nonnullæ habere facultatem gignendi, quòd in aliquibus lumbriculi fiant. his generari anguillas creditur, quod error eſt: ſed certe ex his prodeunt quæ terræ inteſtina uocantur, quæ ſponte in luto humeſcenteq; humo proueniūt. Iam aliæ abſolui ex his uiſæ ſunt, aliæ ſcalptis diſcerptisq; intus apparuerant, quod alibi etiam dixit. Non igitur anguillæ ex ſordibus corporum earum, ſed inteſtinis terræ generātur. Piſcium diuerſa genera non coeunt præter ſquatinam & raiam, ex quibus naſcitur priori parte raiæ ſimilis, & nomen ex utroq; compoſitum apud Græcos trahit) Ita etiam Ariſtoteles tradit ſexto de hiſtoria. Piſcium, inquit, cæterorū diuerſa genera coire uiſum à nemine eſt. Squatinā ſolam & raiam hoc facere creditur, argumento piſcis cuiuſdam qui nomen ex utro q; compoſitum trahit rhinobati, quaſi ſquatraiā appelles. eſt enim parte priore raiæ ſimilis, poſteriore ſquatinæ, tanquā ex eo utroq; proueniens genere. quod & ſecundo de generatione animaliū refert. Quædam tempore anni gignuntur, & in humore, & in terra) Vetus lectio: quædam tēpore anni gignuntur, & in humore, & in terra. Hirudines) Hirudinum, quas ſanguiſugas uocant, ad extrahendum ſanguinem uſus eſt. Piſcium autem lupus & Trichias bis anno parit, & ſaxatiles omnes: mulli ter, ut Chalcis. Cyprinus ſexies) Ariſtoteles quinto de hiſtoria, Piſces, inquit, plurimi etiā ſemel pariunt, ut ij quos fuſaneos ex argumento cognominant, quia fuſim retibus capiantur, ut thunni, limariæ, mugiles, ſpuriæ, coliæ, chromes, paſſeres, & reliqua generis eiuſdem, excepto lupo. huic enim ſoli ex eo genere partus bis anno exercetur, ſed poſterior infirmior eſt. Trichias quoq; id eſt Sarda, & ſaxatiles bis, excepto mullo. hic enim ſolus ter parit, quod & fœtu ipſo ſaturaq; intelligitur. Ter enim aliquibus in locis partus apparet. De chalcide & cyprino Ariſtoteles eiuſdē hiſtoriæ libro ſexto, Cyprini, inquit, quinquies aut ſexies anno: partūq; ſiderū ratione potiſſimū faciunt. Chalcis ter, & reliqui ſemel edunt oua, de quibus etiā Dioſcorides, Oppianus, cæteri. Sargus autem piſcis eſt qui nunc quoq; ſargus appellatur, Cantharo piſci ſimillimus, bis anno pariens, uere ſcilicet & autumno, uti ex ſententia Ariſtotelis ſupra retulimus. Sexto tamen de hiſtoria inquit, Sargus coit menſe decēbri, fert uterū dies triginta, quod ſane tempus neq; uernum, neq; autumnale eſt. niſi quis dixerit Sargon ibi pro ſargone mugilum genere capi, etiam ſi ibidem à mugilum genere di ierſus eſſe uideatur. Nam libro quinto dixit, Mugilū labeones, ſargones, mucones, capitones graueſcere utero menſe decembri incipiunt, geruntq; diebus tricenis. Veſcitur Sargus mulli reliquiis. nā ubi ille luto excitato abijt (fodere enim poteſt) hic deſcendit, & paſcitur, imbecillioresq; ne eodem adnatent, arcet, ex eodem Ariſtotele octauo de hiſtoria, Plinioq;: circaq; cautes uerſatur, ex Oppiano. & irrationali quodā amore proſequūtur capras, ut tradit Aelianus: & ſi earū in littore paſcētiū unius aut alterius umbra in mari uiſa fuerit, adnatant libenter, lætiq; exiliunt, & attingere eas miro quodam modo geſtiunt, cum tamē non admodum ſint natura ad ſaliendū habiles. Ex planis ſquatina ſola bis, autumno & Vergiliarū occaſu) Ariſtoteles quīto de hiſtoria: Chartilagineorū ſquatina una bis parit: nam & incipiēte autumno, & circa Vergiliarū occaſum, ſed per autumnum felicius. Singulis uerò fœturis partus ſepteni aut octoni proueniunt. Itemq; ſexto eiuſdē hiſtoriæ libro: Squatina, inquit, etiam autumno occaſu Vergiliarum, qui partus ſecundus eſt. Primus enim uerno

ſit tempore,ſed ſecundus ſelicior eſt. Plurimi piſcium tribus menſibus,aprili, maio, iunio) Legendum,plurimi piſciũ tribus mẽſibus,martio,aprili,maio,ex Ariſtotele. Ait enim quinto de hiſtoria,Pariũt piſces plurima ſui parte menſibus his tribus,martio,aprili,maio:autumno pauci,ut ſalpa,ſargus. Salpæ autumno:ſpari,torpedo,ſquali circa æquinoctium) Ariſtoteles eodem loco,unde Plinius hæc mutuatur,ſequitur uti retulimus : autumno pauci,ut ſalpa, Sargus,& nonnulla alia generis eiuſdem paulo ante æquinoctium. Adde ijs torpedinem & ſquatinã.quod item Athenæus tradit.Cæterũ antiqua lectio Spargi nõ ſpari habet, quod legi non poteſt,etiã ſi ſpargi ſint piſces,qui rhiades ab Ariſtotele eodem loco uocãtur.Sed ij per æſtatem non circa æquinoctiũ pariunt ex eodem philoſopho. propterea legendum exiſtimo ſargi,ut Ariſtoteles,non ſpari:nam ſpari non autumno,ut ſargi,ſed per æſtatẽ pariunt.cuius indiciũ eſt,quòd ſparuli per æſtatem uideri occipiunt.qui error proficiſci potuit ex lectione Athenæi,qui poſt mentionem de ſalpæ partu ſtatim de ſparo meminerit, nulla de partu mẽtione facta.ſed Plinius hæc omnia ſumpſit ab Ariſtotele, uti ſuperius indicauimus cum de chartilagineis ageremus.Sunt autem ſpari,qui nunc quoq; ſpari appellantur, forma auratis proxima,acris & mollis carnis,ſtomacho idonei,urinam cientes,non difficilis concoctionis, frixi autẽ difficilis.author eſt Diphilus.Verũ melioris ſucci q̃ menæ,ut author eſt Hiceſius, de quibus Plinius mentionẽ facit.32.uolumine,itemq; Matron.quod non obſtat,ut ad inſtitutum redeã,quod Plinius paulo ſupra de ſargis meminerit,cum illic quoties anno parerẽt,hic quibus anni temporibus fœtus excluderent,diſſerat,quẽadmodum & Ariſtoteles feciſſe uidetur quinto de hiſtoria,unde accepit hæc omnia.Nam capite nono & decimo,quoties anno piſces pariant pertractat,inquiens,Scorpio bis & ſargus,uere ac autumno.ſalpa ſemel autumno,Thunna etiã ſemel.Chartilagineorum ſquatina una bis parit:nam & incipiente autumno,& circa Vergiliarũ occaſum,ſed per autumnum ſelicius. poſtea ſubſequenter capite undecimo,quibus anni temporibus hæc omnia fœtus ederent edocet,inquiens:Pariunt piſces plurima ſui parte mẽſibus his tribus,martio,aprili,maio.autumno pauci,ut ſalpa,ſargus:& nonnulla alia generis eiuſdem paulò ante æquinoctiũ. Adde ijs torpedinem , & ſquatinam. Thunna circa ſolſtitiũ pari*. Vel ut uerius dicam,fecit ut exprimeret quinam eſſent hi pauci piſces qui autumno parerent, non obſtante quòd paulo ſupra de eorum partu peregiſſet, ne nimis recederet ab affinitate nominis ſpargi & ſquatinæ, uti etiã meminimus ſuperius cum de chartilagineis ageremus. Molles uere,ſepia omnibus menſibus. oua eius glutino atramenti ad ſpeciem uuæ cohærentia maſculus proſequitur afflatu,aliâs ſterileſcũt) Ariſtoteles quinto de hiſtoria inquit,Mollia quoq; uerno tempore pariunt,& ſepia in primis. parit hæc omnibus anni tẽporibus,perſeueratq; in edendo ouorũ numero dies quindecim. quoties autẽ ediderit,mas è ueſtigio ſequens atramentũ ouis ſuperinfundit,atq; ita efficitur ut ſolideſcãt. & infra.oua quæ ſepiæ edunt,magnitudinem myrtorũ capiunt,& nigreſcunt . emiſſo enim atramento parentis infunduntur,atque ita inficiuntur . cohærent inter ſe ad ſpeciem racemi cuncta uni obducta cuidam nexui,nec facilè alterũ detrahi ab altero poteſt. Polypi hyeme coeunt.pariunt uere oua tortili uibrata pampino,tanta fœcunditate,ut multitudinem ouorũ occiſi non recipiant cauo capitis quæ prægnantes tulere. ea excludunt quinquageſimo die,è quibus multa propter numerũ intercidunt) Ariſtoteles eodem libro,Polypus,inquit,hyberno tempore coit,uerno parit,latet circiter menſes duos.ouum ueluti cirrum edit, fructui populi

albæ

albæ ſimile. perq̃ fœcundum hoc animal eſt: nam de eo quod ediderit, copia innumera pro-
uenit. & infra. Edit polypus ſuũ ouum uel in cubilibus, uel in figlino, uel in quo alio cauo, ſi-
mile labruſcæ florentis racemulis, aut fructui arboris populi albæ, ut dictũ iam eſt. pendent
utiq; per cubile oua tanta fœcunditate, ut collectis uas impleatur longe amplius q̃ caput ſit
quo continebantur. Polyporum itaq; ouis diebus poſt quinquagınta maximè ruptis, polypuli
modo araneorũ perq̃ multi exſerpunt, quorũ natura ſigillatim nondũ conſpicua eſt, quanq̃
forma ſatis tota apparet, ſed ob exiguitatem imbecillitatemq́; copia interit. Iam nõnulli adeo
ſpectantur exigui, ut nulla partiũ conſtent diſtinctione, quamuis ad tactum moueãtur. Lo-
cuſtæ & reliqua tenuioris cruſtæ ponunt oua ſupra oua, atq; ita incubant) Ariſtoteles eodẽ
quinto de hiſtoria, Locuſtæ, inquit, inter cruſtata, quæ per coitũ conceperint, oua gerũt tribus
menſibus his, maio, iunio, iulio: tum deinde ſub aluo in rugas deponunt, qua oua more uermiũ
augẽtur. multaq́; præterea de eiuſmodi partu loquitur. Polypus fœmina modo in ouis ſe-
det, modo cauernã cancellato brachiorũ implexu claudit) Ariſtoteles præallegato loco ait,
Polypus fœmina modo incubat ouis, modo in ore ſui cubilis aſſidens brachiũ ſuper ouis ex-
porrectum tenet. Sepia in terreno parit inter arundines, aut ſicubi enata alga) Ariſtoteles
eodem loco, Sepia parit iuxta terrã inter algas & arundines, & ſi quod aggeſtum tale in-
iectum ſit, ut ſarmenta aut lapides, aut quælibet alia materiei congeries. & quidem piſcato-
res de induſtria faſces ſarmentorũ diſponunt, hæc perlibenter in eis loculamentis parit pro-
lixam illam continentemq́; ſeriem ouorũ, qualis cirri muliebris ſpecies eſt. enititur aluum per
interualla reprimens, inſpergitq́; atramentũ, interpoſita quiete, utpote cum non niſi cum la-
bore emittat. Excludit quintodecimo die) Hoc idem Ariſtoteles tradit eodẽ libro, alio ta-
men in loco, uidelicet, Mollia quoq; uerno tempore pariunt, & ſepia in primis. parit hæc o-
mnibus anni tẽporibus, perſeueratq́; in edendo ouorũ numero dies quindecim. Loligines
in alto conſerta oua edunt, ut ſepiæ) Ariſtoteles eodem loco, Loligines in alto pariũt. conſer-
tum iis quoq; ouum quale ſepiis eſt. Purpuræ, murices, eius denique generis uere pariunt.
echini oua pleniluniis habent hyeme, & cochleæ hyberno tẽpore naſcũtur) Ariſtoteles eodẽ
quinto de hiſtoria, unde hæc Plinius mutuatur, Quinetiã, inquit, purpuræ uere generãtur, &
buccinæ hyeme abeunte. genus deniq; omne quod teſta operitur, uerno autũnaliq; tẽpore ha-
bere cernuntur ea quæ oua appellant, exceptis echinis cibo idoneis: quippe quibus etſi per
ea tempora præcipuè ubertas ouorũ eſt, tamen nullo tempore committitur ut ouis omnino
careant, ſed maximè pleniluniis, diebusq́; tepidis reſtituũtur, redduntur q́; pleniores, præterq̃
ii quos Pyrræus fert euripus. nam illi hybernis mẽſibus meliores ſunt, parui quidẽ, ſed pleni
ouorũ. Ad hæc umbilici pariter omnes ho- eodem tẽpore ſua oua habere uiſuntur. En iterũ
apparet q̃ hic Ariſtoteles ceryces, hoc eſt buccinas, Plinius murices appellauerit. Illud quoq;
conſiderandum, quos hoc in loco umbilicos appellat, Plinium cochleas nuncupaſſe. eſt autem
umbilicus inter teſtata marinorũ turbinatorũ genus, ex Ariſtotele. 4. de hiſtoria. Torpedo
octogenos fœtus habens inuenitur, eaq́; intra ſe parit oua mollia &c.) Ariſtoteles ſexto de
hiſtoria, Cæteri, inquit, muſteli fœtus ſuos & emittunt, & recipiunt intra ſeipſos, quod idem
& ſquatinæ & torpedines faciũt. & quidem iam uiſa torpedo eſt grandis, quæ fœtus intra
ſe circiter octoginta haberet. Et ſecundo de generatione animaliũ ait: Chartilaginea cum non
penna, non cortice, non ſquãma tegãtur, quæ indicia ſunt naturæ ſiccæ atq; terrenæ, idcirco

molle generãt ouum. Eſt enim torpedo inter chartilaginea plana, oua mollia intra ſe pariẽs. nã ſi ouũ foras pderet, facile periret carẽs putamine quod protegat duriore. Simili modo reliqua quæ chartilaginea appellãtur, animal pariũt, cũ intra ſe oua conceperint, excepta quã ranã uocant: nam una hæc inter chartilaginea non animal ſed ouũ excludit, ex Ariſtotele, & Plinio pleriſq; in locis. Silurus mas ſolus omniũ edita cuſtodit oua, ſæpe & quinquagenis diebus, ne abſumantur ab alijs) *Ariſtoteles. 6. de hiſtoria, ubi loquitur de Siluro, inquit, Mas oua quæ edita ſunt cuſtodit, fœmina abit cũ pepererit. Tardiſſimũ ſiluri incrementũ ex ouo eſt, quãobrem mas ſæpe uel quadraginta & quinquaginta diebus aſſidet cuſtodiẽs oua ne à piſcibus occurrẽtibus abſumãtur. & nono etiã eiuſdẽ hiſtoriæ: Fluuiatiliũ ſilurus mas plurimũ curæ proli impendit, fœmina ut peperit abit: ſed mas quo in loco plurimus fœtus conſtiterit perſeuerans oua cuſtodit, nec aliũ præbet uſum, niſi ut piſciculos ne diripiant fœtum arceat, idq; uel ad quadrageſimũ & quinquageſimũ diem facit, donec ſatis iam aucta ſoboles ſe tueri à cæteris piſcibus ualeat. prehenditur ſæpe à piſcatoribus ubi oua cuſtodit. dum enim arcet piſciculos, quatit, proſilit, & ictum ſonũq; mouet. manet apud oua tam ardente animo, ut cũ ſæpe à piſcatoribus oua ſi præaltis gurgitibus ſubſidunt educantur quoad magis fieri poteſt in uadum, ipſe tamẽ eodẽ ſtudio fœtũ ſequatur, neq; deſerere uſquã patiatur.* Acus, ſiue belone unus piſciũ dehiſcente propter multitudinẽ utero parit, à partu calleſcit uulnus, quod & in cæcilijs ſerpentibus tradunt) *Ariſtoteles. 6. de hiſtoria: Qui autẽ acus uocatur, unus tẽpore pariendi utero dehiſcente oua emittit. Habet enim hic rimam quandã ſub uentre imo, ut cæciliæ ſerpentes: à partu autẽ uiuit, & uulnus calleſcit. quod & infra, & tertio de generatione animaliũ cõmemorat. Eſt autem acus, ſiue ut Græci uocant, belone, aut raphis, ut Dorion meminit, aut ablenis, ut Diphilus, piſcus longus tenuis & læuis, roſtro ſubtili acuto porrectoq; ſine dentibus, dorſo cæruleo ad uiride inclinante, uentreq; argentei coloris, nunc Venetis acicula nuncupatus, difficilis concoctionis, humidus, & boni ſucci, ut author eſt Diphilus, quæ ob anguſtiã uteri, inquit Aelianus, eijcit magis rupto uẽtre fœtus, q̃ parit.* Mus marinus in terras ſcrobe effoſſa parit oua, & rurſus obruit terra: triceſimo die refoſſa aperit, fœtũq; in aquã ducit) *Scribendũ uidetur in terra, non in terras ex Ariſtotele. Quod autẽ Plinius hic de mure marino, Ariſtoteles de mure aquatili, id eſt lutaria teſtudine teſtari uidetur. Ait enim quinto de hiſtoria: Mus aquatilis, ſiue teſtudo lutaria in terra ſcrobe effoſſa dolij amplitudine, parit oua: quæ deſerit terra obruta, dieq; triceſimo repetit, refoſſaq; aperit: fœtumq; continuo ducit in aquã. De teſtudine autẽ marina ſubſequenter ſic loquitur. Teſtudines etiã marinæ egreſſæ in terrã pariunt oua auium cortalium ouis ſimilia, & defoſſa coopertaq; incubant noctibus. ouorum numerus maximus eſt: nam ad centena pariunt oua.*

EX CAPITE LII.

Erythini, & chanæ uuluas habere traduntur) *Ariſtoteles tertio de generatione animaliũ ait, Nunc uerò partim receptacula habent ſeminis genitalis, partim uuluas, atq; in omnibus excepto erythino & chana hoc diſcrimen eſt, ut aut conceptacula ſeminis prolifici habeant, aut uuluas. Eſt autem erythinus qui rubellio, & rubellus, & rubrus latinè dicitur. Chanam uerò Theodorus hiatulam cõuertit.* Qui trochos appellatur à Græcis, ipſe ſe inire) *Ariſtoteles eodem tertio de generatione animalium aduerſus Herodotum Heracleotam dicit: Quin etiã de trocho & hyæna ſtulte, magnoq; errore narratur. Hyænam enim complures*

aiunt,trochum Herodotus Heracleota ſcribit,duplex genitale habere,maris ac fœminæ, & trochum ſeipſum inire.

EX CAPITE LIIII.

Oſtrearum uiuaria primus omniũ Sergius Orata inuenit in Baiano ætate L. Craßi oratoris ante Marſicũ bellum,nec gulæ cauſſa,ſed auaritiæ,magna uectigalia tali ex ingenio ſuo percipiẽs:ut qui primus penſiles inuenit balineas,ita mangonizatas uillas ſubinde uendendo. is primus optimũ ſaporem oſtreis Lucrinis adiudicauit) Hæc ſumpta eſſe uidẽtur à M. Varrone,ut Macrobius tertio Saturnaliorũ teſtatur libro:Eodem enim modo inquit Varro Licinios appellatos Murenas, quo Sergius Orata cognominatus eſt, quòd ei piſces qui auratæ uocantur,cariſsimi fuerint. Etenim auratã piſcem,& oratam dici apud Feſtum reperimus à colore auri,quod ruſtici orum uocabant.De his etiã idem Varro tertio de re ruſtica,& Columella libro octauo meminerunt.Hic eſt Sergius Orata,qui,ut Valerius Maximus, Plinius, & Macrobius teſtãtur,primus balneas penſiles habuit, primus oſtrearia in Baiano locauit, primus optimũ ſaporem oſtreis Lucrinis adiudicauit. Fuit autẽ ætate L. Craßi illius diſerti, qui ꝙ grauis & ſerius habitus ſit,etiam Cicero docet.Eſt autẽ Lucrinus lacus Campaniæ in ſinu Baiano,cõtra Puteolos,propinquus Auerno lacui,dictus à lucro propter multitudinem piſciũ qui ibi capiebãtur. in quẽ oſtrea aliũde aduecta,depaſtaq; ibidẽ,meliora fiunt.Gaudẽt enim,ut inquit Plinius lib.trigeſimoſecũdo,& peregrinatione,transferriq; in ignotas aquas: ſic Brunduſina in Auerno compaſta,& ſuum retinere ſuccum,& à Lucrino adoptare credũtur. Dicemus & de nationibus,ne fraudẽtur gloria ſua littora,ſed dicemus aliena lingua, quæq; peritißima huius cenſuræ in noſtro æuo fuit.ſunt ergo Mutiani uerba,quæ ſubijciam. Cyzicena maiora Lucrinis,dulciora Britãnicis,ſuauiora Getulicis,acriora Lepticis,pleniora Lucenſibus,ſicciora Coryphantenis,teneriora Iſtricis,candidiora Circeienſibus: ſed his neq; dulciora,neq; teneriora eſſe ulla compertum eſt. in Indico mari Alexandri rerum authores pedalia inueniri prodidere. Necnon inter nos nepotis cuiuſdam nomenclator tridacna appellauit,tantæ amplitudinis intelligi cupiens,ut ter mordenda eſſent. Oſtrea aluum mouent authore Celſo.in qua ſententia & Galenum fuiſſe uideo, qui & omnium aliorum teſtatorũ nobiliſsimã carnem habere teſtatus eſt. *Sicut lupi piſces in Tiberi amne inter duos pontes)* De lupo Tyberino inter duos pontes capto M. Varro, C. Titius & Lucilius, ut author eſt Macrobius,mentionẽ fecerunt,quibus & Horatiũ & Iuuenalẽ addimus. *Rhõbus Rauennæ)* Verum dicit Plinius.ſunt enim ibidem optimi,magni,& pulcherrimi. & eſt Rhombus, ut inquit Athenæus,qui græcè pſitta dicitur. quare Lynceus Samius cum in epiſtolis inquit pſittas circa Eleuſina Atticæ pulcherrimas eſſe,Rhombos intelligit. *Murænæ in Sicilia, elops Rhodi)* Marcus Varro ſecundo de re ruſtica, Non enim,inquit,ſi murenæ optimæ flutæ ſunt in Sicilia,& elops in Rhodo,continuo hi piſces omni mari ſimiles naſcũtur. Macrobius item libro ſaturnaliorum tertio,Et ſi,inquit,enumerare uelim ꝙ multi magniq; authores murenas è freto Siculo nobilitarint,longum fiet.Sed dicã quid M. Varro in libro qui inſcribitur Gallus de admirandis,dixerit,his uerbis. In Sicilia quoque manu capi murenas flutas, quòd hæ in ſumma aqua præ pinguedine fluitent.& præter hos Licinius Macer,Nicander, Archelaus,Columella,Martialis & Iuuenalis meminere. *Nondum Britannica ſeruiebant littora,& cætera.)* Oſtrea Britãnica poſt Lucrina inuẽta ſunt,quæ & Rutupina ab oppido

litorali Iuuenalis appellauit. Eadem ætate prior Licinius Muræna reliquorũ piſciũ uiuaria inuenit,cuius deinde exemplũ nobilitas ſecuta eſt,Philippus,Hortenſius) M.Varro tertio de re ruſtica,Sic noſtra ætas in quã luxuria propagauit,leporaria ac piſcinas protulit ad mare,& in eas pelagios greges piſciũ reuocauit. Nã propter hos appellati Sergius Orata, Licinius Muræna. Quis enim,ꝓpter nobilitatẽ ignorat piſcinas Philippi, Hortenſij, & Lucullorũ? Et infra eodẽ lib. Quintus Hortẽſius familiaris noſter,cum piſcinas haberet magna pecunia ædificatas ad Baulos,ita ſæpe cum eo ad uillam fui,ut illũ ſciam ſemper in cœnã piſces Puteolos mittere emptũ ſolitũ:neq; ſatis erat eum non paſci piſcinis,niſi eos ipſe paſceret ultro,ac maiorem curã ſibi haberet,ne eius eſurirent mulli, q̃ ego habeo ne mei in Roſea eſuriant aſini. & quidem utraq; re,& cibo & potione, cum non paulo ſumptuoſius q̃ ego his miniſtret uictũ.ego enim uno ſeruulo,ordeo non multo,aqua domeſtica meos alo aſinos. Hortenſius primũ qui miniſtrarent piſcatores habebat cõplures,qui piſciculos minutos aggerebant frequenter,ut à maioribus abſumerẽtur.Præterea ſalſamenta in eas piſcinas emptitia conijciebat cum mare turbaretur,uti per tempeſtatẽ ſuis piſcibus è macello cetariorũ, uti è mari obſoniũ præberet,cum neq; uerriculo illi in litus educere poſſent uiuã ſaginã,plebeiæ cœnæ piſces.Celerius uoluntate Hortenſij ex equili educeres rhedarios, ut tibi haberes mulos,quàm è piſcina barbatum mullum. At,inquit ille,non minor cura eius erat de ægrotis piſcibus,quàm de minus ualentibus ſeruis.Itaq; minus laborabat ne ſeruus æger quàm aquam frigidam biberẽt ſui piſces.Etenim hac incuria laborare aiebat M. Lucullũ,& piſcinas eius deſpiciebat, quòd æſtuaria idonea non haberet,ac in reſidem aquã & locis peſtilentibus habitarent piſces eius.Itemq; Macrobius,Piſcinas autẽ q̃ refertas habuerũt precioſiſſimis piſcibus Romani illi nobiliſſimi principes, Lucius Philippus & Hortenſius, quos Cicero piſcinarios appellat. Lucullus exciſo etiã monte iuxta Neapolim maiore impendio q̃ uillam ædificauerat,euripũ & maria admiſit) M.Varro eodẽ tertio de re ruſtica.Contra ad Neapolim L.Lucullus poſteaq̃ perfodiſſet montẽ,ac maritima flumina immiſiſſet in piſcinas,quæ reciprocæ fluerẽt,ipſe Neptuno nõ cederet de piſcatu.factũ eſſe enim ut amatos piſces ſuos uideatur propter æſtus eduxiſſe in loca frigidiora,ut Apuli ſolent pecuarij facere,q ꝓpter calores in mõtes Sabinos pecus ducũt.in Baiano autẽ tanta ardebat cura, ut architecto permiſerit ut ſuã pecuniã cõſumeret, dũ modo perduceret ſpecus è piſcinis in mare obiectaculo quo æſtus bis quotidie ab exorta luna ad proximã nonam introire ac redire rurſus in mare poſſet,ac refrigerare piſcinas. Quadraginta HS.piſcinæ à defuncto illo ueniere piſces)Legendũ uidetur quadringentis,nõ quadraginta ex Columella lib.8.de re ruſtica. Attamen, inquit,iiſdem temporibus,quibus hanc memorabat Varro luxuriẽ,maximè laudabatur ſeueritas Catonis,qui nihilominus & ipſe tutor Luculli grandi ære ſeſtertium milliũ quadringentorũ piſcinas pupilli ſui uenditabat.Macrobius etiã quadringentis millibus uendidiſſe ſcribit.

EX CAPITE LV.

Murenarum uiuariũ priuatim excogitauit C.Hirrius ante alios, qui cœnis triũphalibus Cæſaris dictatoris ſex millia numero murenarũ mutuo appẽdit. nã permutare quidẽ precio noluit,aliáue merce.huius uillã intra q̃ modicã quadragies piſcinæ uẽdiderũt. inuaſit deinde ſingulorũ piſciũ amor) M.Varro tertio de re ruſtica. C. Hirrius circũ piſcinas ſuas ex ædificijs duodena millia ſeſtertia capiebat.Eã omnẽ mercedẽ eſcis quas dabat piſcibus,cõſumebat.

bat. Non mirum. uno tempore enim memini hunc Cæſari ſex millia murenarū mutua dediſſe in pondus, & propter piſciū multitudinē quadragies ſeſtertio uillam ueniſſe. Idē quoq; retulit Macrobius ex authoritate ipſius Plinij. Apud Baulos in parte Baiana piſcinam habuit Hortenſius orator, in qua murenam adeo dilexit, ut exanimatā fleſſe credatur.) Macrobius hoc non Hortenſio ſed L. Craſſo tribuere uidetur, his uerbis, Fuit autē Sergius Orata ætate L. Craßi illius diſerti, qui q̄ grauis & ſerius habitus ſit, etiā Cicero docet. is tamen Craſſus uir Cenſorius (nā cum Cn. Domitio Cenſor fuit) cū ſupra cæteros diſertus haberetur, eſſetq; inter clarißimos ciues princeps, tamē murenā in piſcina domus ſuæ mortuā atratus tanquā filiam luxit. Neq; id obſcurum fuit, quippe collega Domitius in ſenatu hoc ei quaſi deforme crimē obiecit, neq; id confiteri Craſſus erubuit, ſed ultro etiā (ſi dijs placet) gloriatus eſt Cenſor, piā affectuoſamq; rē feciſſe ſe iactans. Cæterùm Valerius Maximus libro nono, & Plinius libro decimoſeptimo, qui L. Craſſum Cenſorē cum Cn. Domitio fuiſſe confirmant, ſcribentes cū inter ſe de luxuria atq; libidine decertarent, ſibiq; nonnulla inuicē obieciſſent, nullam de murenæ à Craſſo defletæ obiectione mētionē faciūt, forſitā quia nō niſi de obiectionibus ad luxuriā & exquiſitiorē cultū pertinētibus altercatio fuerat. & hoc etiā æſtimandum relinquo. In eadē uilla Antonia Druſi murenæ quā diligebat, inaures addidit.) Inaures ſunt ornamēta quæ ab aure pendēt, ut anuli aurei, ut nūc quoq; in Italia geſtare incipiūt. Plinius xxxij. libro inquit, Itē in Labradij Iouis fonte anguillas, & eæ inaures additas gerūt.

EX CAPITE LVI.

Cochlearū uiuaria inſtituit Fuluius Hirpinus, & cætera.) Hic fuit Fuluius Hirpinus, qui ut meminit Plinius libro octauo, primus togati generis ſuū cæterorumq; ſyluestriū animaliū uiuaria, & ut hic refert, cochlearia in Tarquinienſi agro inſtituit, generaq; earum quæ plurima ſunt, ſeparatim ſuis quæque locis collocabat. Separatim ut eſſent albæ quæ in Reatino agro naſcuntur, ſeparatim Illyricæ, quibus magnitudo præcipua: Africanæ, quibus fœcunditas: Solitanæ, quibus nobilitas. quin & ſaginā earum commentatus eſt ſapa & farre, alijsque generibus, ut cochleæ quoq; altiles ganeā implerent. cuius artis gloria in eam magnitudinem perducta eſt, ut octrginta quadrātes caperēt ſingularū calyces.) Hæc omnia à M. Varrone tertio de re ruſtica ſumpta ſunt, ubi docet quo pacto fieri debeāt cochlearia. Ait enim, Genera cochlearum ſunt plura, ut minutæ albulæ quæ afferuntur è Reatino, & maximæ quæ de Illyrico apportantur, & mediocres, quæ ex Africa afferuntur. Non quòd in his regionibus quibuſdā locis eæ magnitudinibus non ſint diſpariles. Nam & ualde amplæ ſunt quædā ex Africa, quæ uocātur Solitanæ, ita ut earū calyces quadrātes octoginta capere poßint, & ſic in alijs regionibus eædē inter ſe collatæ & minores ſunt & maiores. Hæ in fœtura pariunt innumerabilia. earū ſemen minutum ac teſta molli diuturnitate obdureſcit. magnis inſulis in areis factis magnū bolū deferunt æris. Has quoq; ſaginare ſolent ita, ut ollā cū foraminibus incruſtēt ſapa & farre, ubi paſcātur, quæ foramina habeat, ut intrare aer poßit. Viuax enim hæc natura, quæ & aluū mouēt authore Celſo. Cæterū duræ ſunt, ut inq̄t Paulus Aegineta.

EX CAPITE LVII.

Piſcium genera etiamnū à Theophraſto mira produntur. circa Babylonis rigua decedentibus fluuijs in cauernis aquas hebetes remanere.) Athenæus piſciculos quoſdā in foßis derelictos, quando Nilus ceſſauerit ab inundatione, hepſetos appellat ex eodē genere, ut inquit

Diphilus,cuius eſt cobitis.an hos intelligat,æſtimandum ſit. Eadẽ in ponti regione apprehendi in glacie piſcium quoſdã maxime Gobiones,non niſi patinarum calore uitalem motum fatentes.) Athenæus libro octauo ſcribit ex ſententia Theophraſti,piſces eſſe foßiles uocatos,qui in Heraclea naſcuntur,& circa Tium ponti Mileſiorum coloniã. mentionẽ item facientis de piſcibus per hyemẽ glacie congelatis, qui non prius ſentiunt,neq; mouentur,q̃ in ollas immißi,elixẽtur: & in alijs locis,ut teſtatur Strabo.nam circa Boryſthenis & Mæotidis oſtia piſces in glacie reperiri tradit libro ſeptimo his uerbis: Quid de ipſius gelu uehementia? quid de alijs ad Mæotidis ora prouenientibus? Alueus nãque è Panticapæo ad Phanagoriã plauſtris deambulatur,adeo ut cœnum uia tota fiat. Deſtituti uero in glacie piſces ligonibus effodiuntur ad Gangamam,ſic enim locum appellant, præcipueq́; antacæi delphinibus magnitudine pares.Polybius etiã xxxiiij.hiſtoriarũ libro narrat iuxta Narbonẽ agrum eſſe per quẽ feruntur fluuij Ileberris & Roſcinus,in quo foßiles piſces reperiuntur ſolo macro,copioſo gramine,ſub quo terra arenoſa eſt,ad duos & tres cubitos altitudine fluuiatili aqua ſcaturiente,in qua piſces per cauernas ſubterraneas excurrunt. Gobio autem ſiue Gobius,qui & Cobio à Plinio græcos imitante ſcribitur, piſcis eſt notus, cuius plura habentur genera.Sunt enim alij paluſtres,qui foraminibus quibuſdã in cœno uictitant,Venetijs frequentißimi.eosq́; uoce mutilata,hoc eſt prima tantum ſyllaba proferimus.Alij uero ſaxatiles paganelli Venetijs appellati,carne,ut Diocles author eſt,molliore,quos & Cothonas à Siculis cognominari Nicander & Apollodorus prodidere, atq; etiam cottos Numenius appellauit.Cobiones omnes uarij ſunt, & ſquammoſi. ex quo apparet falli eos qui Cobiones pro ſquammis uariã habere cutem prodiderint. Ex cobionibus autem magis albos q̃ nigros Hiceſius commendauit,ſed laudem ſummam Phalericis Antiphanes contribuit. Diphilus dixit Cobiones qui parui albiq́; ſunt,molles,boni ſucci bonæq́; digeſtionis eſſe: & qui uirides appellantur,deterrimos omnium,etiam ſi grandißimi ſint, quos & caulines uocari tradidit.In fluuijs etiam Cobiones pingueſcere Ariſtoteles octauo de hiſtoria teſtatur. De Cobionibus præter authores hos Dioſcorides, Iuuenalis,Martialis,Simonides,Athenæus, Galenus, Oppianus,Paulus Aegineta,cæteri meminere.Qui autẽ cobitis,hoc eſt ut Theodorus uertit,Gobionaria dicitur,Gobiones paruos ignobiles,qui terrã ſubeunt,creat,& eſt Aphyæ genus ex Ariſtotele ſexto de hiſtoria, Diphilo & Athenæo,& alba eſt.Cuius quidem Aphyæ genera plura ſunt.Aphya enim quæ in portu Athenienſiũ naſcitur,encraulos dictos progenerat,quã Archeſtratus & Chryſippus commendare uidentur.Itẽq; Aphyæ genus aliud eſt quod mænarum & mugilũ ſit fœtura.quam uero Phalericã uocant,membradas gignit,ex quibus ſardinæ,ex ſardinis ſardæ oriuntur.Quinetiã genus aliud Aphyæ eſt,quod Ariſtoteles aphrõ, & Athenæus aphritin uocant,quoniã ex ſpuma nuncupata ex terra arenoſa conſiſtit: quod quidẽ Aphyæ genus nec incrementum capit,nec prolem affert,& temporis longioris ſpatio perit.ſed denuo naſcitur. unde fit ut breui quodã tempore excepto omnibus fere anni temporibus generetur: quippe cum ſpuma illa ab arcturo autumnali ad uer uſq; eduret.efferri id piſciculi genus funditus de terra argumentũ eſt,ꝙ niſi tẽpore tepido nõ capiatur, utpote quod de humo ad ſumma teporis gratia ueniat. Quin & ſolo agitato, detractaq́; eius colluuione, copioſior & melior exit.Cætera aphyæ genera deteriora propterea ſunt,quia cito augẽtur. Fiunt locis umbroſis,apricis ue,quoties temporis beneficio ſolum tepeſcit,ut in Attica terra

apud

apud Salaminem, & iuxta Themiſtocleum, & in Marathone. locis enim huiuſcemodi ſpuma illa conſiſtit, & tempore tali apparet. ſed non nuſquam uel cum aqua de cælo inceſſit, oritur piſciculus hic in ſpuma, quæ imbre admiſſo calluerit, unde nomen ſpumæ accepit: ferturq́; interdum per ſumma maris, cum cælum tepidum eſt, & in ſpuma fluitante, perinde ac in fimo uermiculus, uoluitur. Quamobrem in loca complura genus id Aphyæ affertur ex alto, & copioſe quoque generatur, & capitur anno quieto & humido. Aphyam autē Plinius Apuam, & Theodorus apluā interpretati ſunt, quia non alio principio ferè, q̄ ex pluuia generetur. Diphilus dixit Aphyā grauis & difficilis concoctionis eſſe. Athenæus, Apuæ, inquit, membrades, & trichiæ, & alij omnes quorū ſpinas ſimul comedimus, cōcoctionē ſpirituoſam faciunt, alimentum humidū exhibēt, cum cōcoctio non adæquetur, ſed carnes cito concoquātur, & ſpina ſerius diſſoluatur. meliores uero ſunt elixi, & aluū inæqualiter ſoluunt. Idem; tradit in Paphlagonia effodi piſces gratiſſimos cibis terrenos altis ſcrobibus, in his locis ubi nullæ reſtagnent aquæ.) Hoc idem ſcripſerat Eudoxus quē Strabo citat libro xij. his uerbis. Eudoxus author eſt foſſiles piſces eſſe in Paphlagonia in locis ſiccis. Locū tamen non determinat. item in humidis circa lacum Aſcaniū, qui apud Cium eſt. ſed nec id perſpicue dicit. Athenæus libro octauo, Peculiare, inquit, quiddam accidit in piſcibus qui uocantur foſſiles in Paphlagonia. effodi enim altis ſcrobibus in locis, ubi nullæ reſtagnent aquæ.

EX CAPITE LVIII.

Quippe deturgente eo muſculi reperiuntur incohato opere genitalis aquæ terræq́;.) Vetus lectio decedente non deturgente habet. ſic etiam capite ſuperiori inquit: *Piſcium genera etiamnum à Theophraſto mira produntur, circa Babylonis rigua decedentibus fluuijs in cauernis aquas hebetes remanere. & infra: circa Heracleam eandem eodemque Lyco amne decedente.* quamuis deturgente non ineleganter etiam dicatur.

EX CAPITE LIX.

Nec de Anthia piſce ſileri conuenit.) De Anthia piſce meminit Ariſtoteles de hiſtoria ix. libro. Ait enim, Quo in loco anthias ſit, nullam ibi beluam eſſe confeſſum eſt, quo iam indicio ſecure ſpongiatores urinantur, & ſacrum hunc piſcem ob eam rem nominant. Ananius Anthiam hyeme optimum eſſe tradit. Athenæus inquit Anthiam ſacrum eſſe piſcem, & ex ſententia Ariſtotelis carniuorum, & gregalem, dentesque habere pectinatim coeuntes. Sunt qui Callionymum Anthiam quoque appellent. Itemque helopa caſtum, ſacrumq́; piſcem. Callionymus autem eſt qui Vranoſcopos atq; etiam hagnos uocatur, ſtomacho, ut inquit Diphilus, grauis, de quo & Ariſtoteles tradit. Hiceſius inquit Anthiam à quibuſdam appellari Callionymum, à quibuſdā Lycon. de Anthia Dorion quoque, Aelianus, & Oppianus meminere. ſed nec tantum Anthias ſacer uidetur appellari. Nam Epimenides, & Timachidas, & Clitarchus pompilum quoq; ſacrum appellarunt. Hiceſius dixit pagros, chromin, anthiam, acarnanes orphos, ſynodontes, & ſynagrides genere quidem ſimiles exiſtere. ſunt autem ſynodontes qui latine dentices, & uulgo dentales uocātur, forma auratis proxima, uerum maiores, quos erythropœcilos Epicharmus uocauit, quorum alterum eſt genus ſimile, Synagris græce uocatū, quā item denticē Theodorus interpretatur. Dentex, & charax, inquit Diphilus, eiuſdē generis ſunt, præſtat tamen charax. *Tum ille paulū ultra digitos in eſca iaculatus hamum.)* Vetus lectio non habet digitos, ſed hoc modo, Tum ille paulum ultra in eſca iacu-

latus hamum. At inter Sargos.) Quid eſſet Sargus, ſuperius indicauimus. Eſt enim Sargus piſcis qui nunc quoque Sargus uocatur.

EX CAPITE LX.

Præter hæc claros ſapientia authores uideo mirari ſtellā in mari.) Stella piſcis comparatur ſtellæ quæ pingitur, ſimilitudine. parua admodum caro intus, ut inquit Plinius, extra duriore callo obtegitur, & ſpinulis horret, echini ferè modo, omnibus notiſſima: de qua Ariſtoteles & Oppianus meminerunt. Huic tam igneum feruorem eſſe tradunt, ut omnia in mari contacta adurat, omnē cibum ſtatim peragat.) Ariſtoteles quinto de hiſtoria, Quæ ſtella, inquit, uocatur, adeo natura calida eſt, ut omnia contacta protinus decoquat. Detrimento etiam ſummo echinis euripi pyrrhæi eandē eſſe confirmāt. forma eius ſtellis quæ pinguntur, ſimilis eſt. Mala medicamēta inferri negant poſſe, aut certe nocere, ſtella marina uulpino ſanguine illita & affixa limini ſuperiori, aut clauo æreo ianuæ. Author eſt Plinius xxxij uolumine.

EX CAPITE LXI.

Concharum è genere ſunt Dactyli ab humanorum unguium ſimilitudine appellati.) Dactyli, id eſt digiti, quos & onychas, id eſt ungues, & aulos ſiue donacas, id eſt fiſtulas, & Solenes Plinius, ut ſupra retulimus, appellauit, ſunt è concharum genere quas Græci in hodiernum diem Solenes, & Veneti conchas longas appellant, durioris carnis, ut author eſt Galenus: de quibus Diphilus, Speuſippus, Philillius, Phrynichus, Ariſtophanes, & Athenæus Solenes appellantes tradidere.

EX CAPITE LXII.

Sunt & inimicitiarum atq; concordiæ miracula. Mugil & lupus mutuo odio flagrant, conger & murena, caudas inter ſe prærodentes.) Ariſtoteles nono de hiſtoria inquit, Lupus & mugilis quanquā inimici ſunt capitales, tamē ſtato tempore cōgregantur. & pauló pòſt, Sæpe, inquit, cauda abciſa uiuunt, atq; etiā congri meatu tenus excremētario. abſciditur mugilis cauda à lupo, congri à murena. Ineunt prælium maiores contra minores. Maior enim quiſq; atq; robuſtior minorem infirmioremq; deuorat. Polypum intantum locuſta pauet, ut ſi iuxta uiderit, omnino moriatur. locuſtam conger, rurſus polypum congri lacerant. Ariſtoteles octauo de hiſtoria, Locuſtæ, inquit, uel piſces maiores conuincere poſſunt. euenit uſu, ut locuſtis polypi ſuperiores ſint, & adeo ut ſi eiſdem in retibus ſenſerit locuſta polypum, præ metu emoriatur. Congros locuſtæ conuincunt. nam elabi non queunt propter cruſtæ aſperitatem. Congri polypos ſuperāt, ſed edere non poſſunt. Læue enim & lapſum polypi corpus uſum hoſtis effugit. Nigidius author eſt prærodere caudam mugili lupum, eoſdemq; ſtatis menſibus concordes eſſe. omnes autē uiuere quibus caudæ ſic amputentur.) Miror Plinium hæc Nigidio licet doctiſſimo contribuiſſe, cum Ariſtoteles, à quo accepit Nigidius, hæc ante eum tradiderit. Ait enim libro nono de hiſtoria, ut modo etiam dixi: Lupus & mugilis quanquam inimici ſunt capitales, tamen ſtato tempore congregantur. & paulo infra, Sæpe mugiles cauda abciſa uiuunt, atque etiam congri meatu tenus excrementario. Balenæ muſculus quandoque prægraui ſuperciliorum pondere obrutis eius oculis infeſtantia magnitudinem uada prænatans demonſtrat, oculorumq; uice fungitur.) Idem tradit Oppianus Halieuticon libro quinto: qui paruum uiſu, ſed corpore longo, tenuiq; cauda muſculum deſcribit, quem & iulum, uti retulimus, authores alio nomine nuncuparunt.

FINIS.

INDEX in P. Maſſarij commentarios in Nonum Plinij.

A litera ſuperiorẽ pagel-
læ partẽ indicat, B. ĩferiorẽ.

A

ABlenis piſcis. 130.b
Abrotone, limacis
genus 82.b
Acanthiç muſteli. 54.b
Acarnanes piſces. 27.a.
Acetabula q̄ dicantur. 66.a
Acetabula polyporũ ibi.
Accipiter. 60.a
Achelous fl. 44.a
Acheron fl. 35.a.
Acheruſia palus. ibi.
Achilleum, ſpongiæ ſpeci-
es. 116.b. 117.b
Aciæ inſecta 126.a.
Acicula piſcis. 130.b.
Acipenſer piſcis. 33.b.
Acus piſcis. 130.b.
Ac⁹ ſiue belones part⁹. 130.a
Adagium, Ceſtreus ieiunat
32.a.
Adena piſcis. 17.b.
Adonis piſcis. 43.b.
Aegilops. 72.b.
Aeliani loc⁹ reſtitutus. 24.a
Aeluros, felis. 39.a
Aenus fluuius. 18.a.
Aeoli piſces. 37.a.
Aer in aquam penetrat 5.b
& in terram. 6.a.
Aerem nullum manere ſub
aquis. 6.a.
Aerica piſcis. 120.a.
Aẽris paucitate ſtrãgulãtur
ſpirantia aĩalia 49.a.
Aes Corinthium. 98.a.
Aeris precium 98.a.b.
Aerea vaſa elegantia, cori-
thia dici poſſe. 98.a.
Aeſopi tragœdi filius 87.a
Aeſtate quidam piſces la-
tent. 28.b.
Agnos piſcis. vide Hagnos
Alabaſtrum quid. 86.a.
Alabes piſcis. 41.b.
Albi oculi. 30.a.
Alcæi poetæ dictum 65.a
Alcyonij ingratitudo erga
Maſſarium. 47.b
ex Alga nidificat ſola fuca.
59.b
Alutarius piſcis. 40.a.
Alæ volatilium. 46.a.
Aleces piſces. 59.a.
Alex. 41.a.
Alopeces marinæ. 115.b.
Aloſa piſcis. 18.a. 41.b.
Amaritudo vnde. 126.b.
Ambra, ambar 98.a.
Ambigentia inter plantas
& animalia. 115.b.
Amethyſus. 98.b.
Amethyſti & hyacĩthi diſ-
crimen. 99.a.b.
Amia piſcis 8.b. 26.b. 53.b
Anemone. 95.b.
Anguillarũ cõſideratio. 19.
b. 42.b. 49.a.b. 50.a b.
126.b.
Anima murenæ in cauda
eſt. 52 a.
Anima quibuſdã ſanguis
eſſe putata eſt 63.a.
Animç oĩa ſunt plena. 111.b
Aĩal alia pariũt, alia ouũ,
alia vermem. 22.b
Animal q piſcium pariãt. 15
b. & dein. 38.b. 56.a.
Aĩalia inter ac frutices na-
tura quædã media. 115.b.
Animaliũ perfectiora quæ
ſint. 56.a.
Aĩalia ſeipſis veſcẽtia. 65.a.
Antacei piſces. 18.b. foſſi-
les. 134.b.
Anterotes. 99.a
Anthias piſcis 27.a. 118.b.
135.b
Antonia Druſi murenæ in-
aures addidit. 133.a.
Antonij triumuiri nauis ab
echeneide retenta. 57.b.
Aornus fl. 44.a.
Aper piſcis 42.b. 44.a.
Aphareus piſcis 20.a.
Aphritis piſcis. 134.b.
Aphrõ Aphyæ gen⁹ 134.b.
Aphya piſcis. ibi.
Aplua piſcis. 135.a.
Aplyſiæ ſpongiæ. 117.b.
Apolectos quid ſit 21.b.
Aporrhedes. 88.b. 91.a.
Apua piſcis. 40.a. 135.a.
Aqua paluſtris. 32.b.
Aqua ſine viuentes piſces
49.a.
Aquarũ dulciũ ĩfluxus ce-
lerrimè piſces marinos
adoleſcere facit 21.b
Aquarum ſufflationes vn-
de proueniant. 6.a.
Aquila piſcis. 53.b. 54.a.b.
Arcanus piſcis. 32.b. 121.b.
Arbores marinæ. 3.b. 26.a.
103.a
Arbores glãdiferæ in pro-
fundo maris. 25.a
Arcti piſces. 73.a.
Arietes marini. 4.a.b. 115.b.
Arion citharœdus 10.b.
Ariſtoteles cęteris diligẽti-
or 23 a. fide dignior 73 b
Ariſtoteles ſecum diſſentire
viſus, conciliatur 125.b.
Ariſtotelis locus reſtitutus
20.a. 54 a. 112.a. 125.a.
Arneutis piſcis. 27.b.
Arriani hiſtorici locus. 1.b
Arundines ſine pluuia nõ

adoleſcunt. 26.b.
Aſcanius lacus. 135.a
Aſcaridæ ſeu tipulæ.125.a.
Aſcrinij montes. 115.a.
Aſelli multipedes. 25.b.
Aſellus piſcis. 28.b.36.a.b.
Aſilus vermiculus. 1.a.25.b.54.b.126.a.
Aſinius Celer. 39.b. 41.a.
Aſſimilo & aſſimulo.85.b
Aſphodelus. 82.b.
Aſplenon herba. 113.b.114.a.115.a.
Aſtaci. 73.a.b.74.a.76.b.
Aſterias piſcis. 39.a.
Athenæi loc° reſtitut°.53.b
Attilus piſcis. 17.b.
Attina piſcis. 17.b
Atocion quid dicatur.121.a
Atramentum omnia mollia habent. 67.a.
Atramentū ſepię.62.b.63.a
Atramenti confectio. 92.a.
Au qbuſdā in o vertit.30.b
Auditus piſcium. 8.a.
Auenæ duæ ſpecies. 72.a.
Auerroys. 53.a.
Auernus lacus. 131.b.
Aues ouum pariunt. 56.b.
Auli piſces. 83.b.136.a.
Aurata piſcis. 28.b. 30.b.46.a.55.a.131.a.
Aurelia. 82.b.
Auris marina. 100.a.
Aures piſcium. 15.b.
Auriū ornādarū mos.133.a
Auro omni argentum ineſt. 97.a.
Auxuma. 20.a.

B

Bacchus piſcis. 36.b
Balagri piſces. 50.a.
Balauſtia. 92.b.
Balearicæ cochleæ. 82.b.
Balena. 2.b.4.b.
Balenæ cæcutiēti muſculus dux adeſt. 136.b.
Balnea pēſilia Oratę.131.a
Banchus piſcis. 31.b.36.b.
Barbæ in polypo. 66.a.
Barbatuli piſces. 39.b.
Barbo piſcis. ibi.
Bareni piſces. 50.a.
Batis ſeu batos, raia 52.a.112.a.
Batrachos, rana, non raia. 54.a.
Belone piſcis. 130.b.
Beluarū mariarū terror 1.b
Berberis & berberion. 84.b.85.b.
Biualues conchæ. 108.b.
Biualuia quę appellentur. 108.b.109.a.b.
Boax piſcis. 59.b.
Boces piſces. 40.a.b.
Boices piſces. 59.b.
Bolbotinæ piſces. 63.b.
Bolitæna piſcis. ibi. & 65.b
Boobæ ſeu boopes piſces 59.b.
Bos piſcis. 41.b.54.a.b.
Branchiæ piſcium. 4.b.42.b.43.a.46.a.b.
Brāchijs cetacea carēt. 5.b.
Brigantinum oppidū.37.b
Briſſi 79.b
Bromos qd ſit 71.b.72.a.b.
Bubali cochleæ 82.a
Bubali piſces. 1.b.
Buccinum 87.b.88.a.b.90.a.96.b.111.a.124.b
Bugloſſos piſcis 45.b
Bulborū plura genera 93.b
Bulla 5.b
Byſſus, byſſinum ; byſſinæ veſtes. 107.a.

C

Caballeta, locuſta 71.a
Cæciliæ ſerpentes 130.a
Cæci fiunt piſces quidā ex nimia pluuia. 27.a.b.
Cæruleus color. 99.b.
Cærulei oculi 29.b.
Cæſius color. 30.a
Cæſii oculi 29.a.b.
C.Hirri° ſex millia murenarum C. Cæſari mutuo appendit. 51.b.
C.Hirrij viuaria murenarum 132.b
Caij prīcipis nauis ab echeneide remorata 57.b.
C. Titius 35.a
Calamarius piſcis 60.b.
Callarias piſcis 36.b
Calli 108.b. & 119 a.b.
Calliblephara oſtrea.118.b
Callionymus piſcis 135.b.
Calor in generatione 111.b
Calor naturalis vnde deſcribatur 56.a.
Calor piſcium 43.a
Cancellus, concharū hoſpes 107.b.108.a.
Cancreolæ 75.b
Cācri noīe quæ veniāt 14.a
Cancri 14.a. 76.a.b.78.a.108.a
Cācri aduerſ° culices 125.b
Cācri caudā nō habēt 75.b.
Cancri porri 75.b.
Cancri ſaxatiles 73.a
Cācri ſenectutē exuūt.72.b
Cancrorum coitus. 123.b.
Cancrorum genera 73.a.74.a.76.b
Cancrorum vita 76.a.
Candidi piſces 47.b
Canis pinguis 115.b
Canis piſcis 38.b.118.a.
Canicula ſignum cæleſte 118.b.piſcis.1.b.39.b.54.b

Caniculæ

Caniculę ſydus mare cõmouet 28.b.31.a
Canicularum piſcium genera 118.a
Cantharus piſcis 127.b
Capitelli piſces 31.b.
Capito piſcis 27.a.31.b. 32.a.b.34.b.127.b
Capo piſcis 60.a
Capræ ſargo piſci amatæ 127.b
Caprificus iuxta ficos bene ſeruntur 125.a
Capriſcus piſcis 87.a
Caput quibus infra ſit 79.b.110.a.b
Carabos piſcis 70.b
Carabus & locuſta, idem 72.b.74.a.75.b
Carcharia piſcis 118.b
Carcinos piſcis 59.b
Carcinion cancellus 107.b
pinnother 76.b
Carides piſces 75.a.b
Carini piſces 50.a
Carne abſtinẽtes piſ. 32.a
Carniuori piſces 55.a
Carteia thunnos glandibus ſaginat 25.a
Carulus auis 43.b
Catharum 115.a
Catillones q dicãtur 34.b
Cato Luculli tutor 132.b
Cattus piſcis 39.a
Cattus terreſtris ibi.
Catul⁹ de quibus dicat 5.a
Caudæ ſerpentibus amputatæ renaſcuntur. 65.a
Caudis etiam pręciſis viuere q̃ſdam piſces 136.b
Caulines cobiones 134.b
Cautes 5.b
Cauticæ cochleæ 82.b
Cẽtipeda ſeu cẽtipes 113.a
Centipedaria herba 113.b
Cẽtrine, culicũ gen⁹ 125.b
Cephali piſces 31.b.34.a.b
Cercopitheci caudas ſibi pręrodunt 65.a
Cerion pro fauo 87.b. pro morbo 88.a
Cernua piſcis 27.b
Cerri piſces 59.a
Ceryx 88.b.90.b.129.b.
Ceſtra & ceſtre⁹ 31.b.33.a
Ceſtreus ieiunat, prouerbium 32.a
Ceſtrini qui dicantur 32.a.
Cetacea quæ dicantur 22.a
Cetarij, cetariæ .22.a.66.a
Cete 2.a b. 5 b.56.a
Chalceus piſcis 42.a
Chalcis auis 120 b. piſcis 44 a.120.b.127.b.
Chamelæa frutex 107.b
Chanæ piſces 26a.27 b. 28.a.130.b.
Charax piſcis 135.b
Chartilagineorum conſideratio 14.a.38.b.42.b. 43.a.48.b. 54.a.b. 55.a. b.56.b.57.a.129.b.130.a
Chelidonia piſcis 3.b.20.b 60.a.63.b
Chelidonium herba 113.b
Chelonæ piſces 31.b
Chelonophagi. 11.b
Cherſinæ teſtudines 11.a
Chortinon 92.b
Chromis piſcis 26.b.27.a 44.a.127.b.135.b.
Chthonia feſta 100.a
Chryſelectrum 97.b
Chryſophorum 97.b
Chryſophrys, aurata 30.b
Cicadæ vt canant 6.b
Cicendelæ 126.a
Ciceronis locus 82.a
κίχλη piſcis. 24.a
Cionia quæ vocentur 91.a
Citerach herba. 114.a
Citharus piſcis 40.a.41.b
Cittulus piſcis 40.a
Cnipes, culicũ gen⁹ 125.b
Clauatæ veſtes. 92.b
Clauus in veſtibus ibi.
Clidium 21.a.
Clupea piſcis 17.b.59.a
Coagulum leporis 121.a
Cobij 24.a.134.b. vide Gobio.
Cobitis piſcis 134.a.b.
Cocalia, limacis genus 82.b.108.b
Coccũ 98.b.106.b.107.a.b
Coccyx piſcis 60.a
Cochlax & cochlos 82.a
Cochleæ 1.b.41.b.81.b.82. 84.b. 129.b.133.b.
Cochlearia, cochlearum viuaria. 133.b
Cochlia & cochliæ 1.b.41.b.82.a.
Codiaminon 95.b
Cognatæ rei deſiderium 125.a
Coit⁹ piſciũ 122.b.123.a.b
Coitus viuiperorũ diuturnior q̃ ouiperorũ 122.b
Coliæ piſces 127.b
Color facilè parabilis 102.b.
Colorem mutantes piſces 58.b.59.b
Columbus piſcis 52.b
Columellæ locus reſtitutus 118.a
Comedât ne ſcipſum polypus 64.b
Conaſtellum. 103.b
Concharum conſideratio 76.b.77.a.83.b.84.b.96 b.108.b.110.b
Conchylium 90.b
Conchylium quod intelli-

gatur 87.a.90.b
Cōchyliataveſtis 87.b.88.b
Concordiæ ac vnitatis vtilitas 17.b
Condylion 84.a
Condylos 84.a
Cōger piſcis 27b.28 a.42b
Congri & locuſtæ inimicitia 136.b
Cōgruum ſibi quod ſit, vnaquæq; res q̃rit 125.a
Cōnopeum 125.b
Conopes, culices 125.b
Conſulum lictores 89.b
Copaides anguillæ. 50.a
Coracinus piſcis 27.b. 41.a.59.b
Corax piſcis 41.b
Cordula, cordul⁹, cordylla piſcis 20.a.48.a
Corides piſces 75.a
Corinthiorum vaſorum precia 98.a.b
Corio tecti piſces 13.a
Coryphenes piſcis 27.b
Cornua elephanto negata 4.a
Cornuta piſcis 60.a
Corrice tecti piſces 13.a.b
Cortina quid ſignificet. 91.b.& dein
Coruulus piſcis 27 b
Coſmoſandalon 99.b
Cothones piſces 134.a
Cotti piſces 134.b
Cotinus frutex 92.a
Cotyledones quæ dicantur 66.a
Craſſus murenarum amans 133.a
Craugines ſquillę 75.a
Crocum 95.a
Croci radix 94.a
Crocodilus fluuiatilis 76.b.124.b
Crotalia 85.a
Crotalum 86.a
Crudum & recens 40.b
Cruſtati piſces 13.b. 60 b 70 a 71 a 74 a 77 b 123 b
Cuculus piſcis 44 a 60.a
Culicum conſideratio 124 b & dein 125 b 126.b
Cuniculus, vaporariū fornacis 91 b
Cunilæ vis aduerſus viperam 12.b
Curides piſces 75 a
Curilus 20 a
Cutis piſcium 14.a
Cutis quæ dicatur 13.b
Cybium quid ſit 21 a b
Cydonia 37 a
Cymbalum 86.b
Cynoſeuma piſcis 59.a
Cymindis auis 120 b
Cypros arbor 103 b. 104 a b.105 b
Cyprinus piſcis 30 b 42 b 127 b
Cytinos 92.b

D

Dactyli piſces 83 b 136 a
Daniel Rhenerius 47 b
Daſypodion viola 93 a
Delphinus 8 a b 10 a b 55 a b 122 a
Dentales piſces 135.b
Dentes elephanti cornua vocantur 4.a
Dentium doloris remediū 121 b
Dentex piſcis 21 a. 27 a.42 b.55 a.135.b
Dextra pars ferè fortior eſt 76.b
Dibapha tyria 96 b
Dicoros 106 b
Dilutus color 99 b
Dilychnus 41.b
Diogenis Cynici mors 61 b
Dioſcorides Plinio multo maior 106 a
Dioſcorides vt intelligatur ac vertatur. ibi.
Dioſcoridi multa aliena infercta 101 b
Dominicus Sennus medicus 101 b
Donaces 83 b 136 a
Dorios piſcis 31 a
Dormire piſces 6 a
Dyces piſces 26.a

E

Ebriorum ſenatorum atq; iudicum mos 35 b
Ebuli baccæ 102 a
Ebuſus inſula, nunc Euiza 42 a
Echeneis piſcis 57.b
Echeneidis vſus ac medicinæ 58 a
Echidne & echis, vipera 16 b
Echinus quid ſignificet 81 a
Echinus ab echeneide differt 58 a
Echini piſces 73 b.79 a.b 80 a b.81 a
Echinorum partus 129 b
Echinometræ 79 a
Echinophoræ 85 a
Egnatius 47 b
Elacatena 118 a
Electrum 97 a b
Elechos quid dicatur 86 a
Elenchi gemmæ 84 a 86 a
Elephanti marini 42 b
Elops, acipēſer 33 b. 42 b 131 b
Elorus amnis 35.a
Elorius auis 43.b

Elutrare

Elutrare 92 a
Emydes teſtudines 11 b
Encraulos piſcis 134 a b
Epati piſces 27 a
Epipetrum 119 a
Epitrageæ piſces 50 a
Equorum oculi maximè varij 29 b
Equi fluuiatiles 13 a
Equina ſpecie cochleæ 1 b
Equiſelis piſcis 27 b
Ericium 81 a
Ericius marinus 80 a
Erinaceus 81 a
Erinon herba 81 a
ex Erucis naſcentia 126 a
Eryrhrini piſces 26 a 27 a 130 b
Erythrodanum 107 a
Erythropœcili 135 b
Euripus pyrræus 129 b
Exaluminati vniones qui dicantur 84 b
Excrementa turbinatis omnibus parte ſuperiore egeruntur 79 b 110 a
Exocœtus piſcis 43 b
Exuere ſenectutem quę animaliũ dicãt 13 b 72 b
F
Fabæ flori etiam inſcriptæ literæ 100 b
Faber piſcis 41 b 42 a
Fabula ab hiſtoria originem habet 3 b
Faciei dealbandæ ac fucandæ ratio 84 b 96 b
Faſces pro honoribus 89 b
Fauago 88 a
Fauare quæ dicantur 88 a b.111 a
Fauus morbus 88 b
Fauſtus Victor 58 a
Felis induſtria 39.a
Ferruginei hyacinthi 100 b
Ficarij culices 125 a
Ficubus non incommodi culices 125 a
Filiorũ cura ĩ piſcibus 29 a
Fiſtula in quibuſdam piſcibus 4 b.63 a.123 b
Fammea 95.b
Flator piſcis 3 a
Flores Homero laudati 99 b
Fluuię piſces 34 a.51 b 131 b
Fluuijs dulcibus multi piſcium pingueſcunt 26 b
Fœmina in piſcibus fere maior eſt mare 56 a
Fœminę vbi maiores quàm mares 26 a
Forcipes cancrorum 76 b
Fœtus & emittit & recipit torpedo 53.a & glaucus piſcis 29 a
Fœtus in vtero non in ventriculo continetur 50 a
Foſſiles piſces. vide piſces foſſiles
Forma facilè perit 102 a
Fragũ, pẽtaphylli fructus cur dictus 103 a
Franciſci Philelphi error 33 b
Frigus piſcib⁹ noxium 26 b 32 b 110 b
Frutex 103 a
Fuca piſcis 59 b
Fucus 92 a.
Fuluius Hirpinus 133 b
Fuſanei piſces 127 a
G
Gaditana ſalſamenta 21 a
Gadus piſcis 36 b
Gallaria piſcis 52 a
Gale piſcis 39 a
Galeos ſeu galeotes piſcis 1 a 37 b.38 b 39 a 54 a
Gallerias & galerides piſcis 36 b
Gammari piſces 73 a
Gangama 134 a. 74 a 78 a.123 b
Garus piſcis 41 a
Garus ſalſamentum 41 a
Garus ſociorum 41 a
Gedroſi populus 2 a
Gemmarum laus in quo conſiſtat 84 b
Generatio duplex 125 b
Generatio plãtarum & animalium 111 b
Genis omnino carent piſces 14 b
Genitalium meatum conſpicuum piſces non habent 46.a
Germania quæ olim diceretur 18 a
Gerres ſeu gerruli & girruli piſces 59 a
Getulica purpura 89 b
Gibbæ ſquillæ 75 a
Gladiolũ loliginum 67 a
Gladi⁹piſcis 1 a.42 b.118 a
Glande veſcentes piſces 25 a b
Glanis piſcis ſolertia 115 b
Glauci Chij inuẽtum 30 a
Glauci oculi 29 a.30 a
Glaucium herba 30 a
Glaucoma 30 b
Glaucus color 29 a
Glaucus piſcis 28 a b 29 a
Glauciſcus piſcis 29 a
Glaux herba 29 b
Gleſſum & gleſſaria inſula 97 a
Gnidiũ coccũ 97 a 107 a
Gobionaria piſcis 134 b
Gobio ſeu gobius & cobio piſcis 26 b.134 a
Gonger. vide Conger
Graculus 36 a

Granum, coccum 107 b
Grauida in teſtatis meliora 119 b
Grillus piſcis 28 b
Gummi 97 b
Girini ranarum 124 a

H

Hagnos piſcis 130 b
Halme 41 a
Hamiæ piſces 20 a
Harengæ ſen arengæ 59 a
Heledona piſcis 63 b
Helena quib⁹ piſcibus veſceretur 40 a
Helleſpontus 37 a
Heliochryſos 95 b
Helops acipēſer 33 b.42.a
Hemerocalles 94 a b
Hemionion ſcolopendrion 113 b
Hemionios ſeu hemionos & hēionitis herba 114 a
Hepſeti piſces 133 b
Heracleotici cancri 75 b
Herbæ vt optimè cognoſcantur 103 b
Herbarijs pictis parum fidendum 113 b
Herbarum differentia in quo ſit 99 b
Hermolaus defenſus aduerſus Marcellū 30 a. 121 a
Hermolaus Marcello inuiſus 40 b
Hermolai laus 106 b.125 a
Hermolao refragatur 9 a. 18 a.72 b.114 b
Herodot⁹ fabulator 122 b
Hiatula piſcis 130 b
Hīnul⁹ piſcis 1 b. 5 a.39 a
Hippeæ piſces 75 b
Hippopotami 13 a
Hippurus piſcis 27.b
Hippus piſcis ibi.
Hirudines, ſanguiſugæ 127.a
Hirundinaria herba 113.b
Hirundo auis 60.a. piſcis 59.b
Holothuria 119.a
Homipeta piſcis ſilur⁹ 18.a
Homo cui pro veneno ſit 121.b
Horæa ſalſamenta 21.a
Hortenſius piſcium amantiſſimus 132.a.b.133.a
Humor vitalis 56.b.63.a
Hyacinthus 99.a b.100.a b
Hyæna an duplex genitale habeat 130.b
Hyems aſpera piſcibus noxia 32.b.34.b
Hyſginus color 101.a
Hyſginobaphes veſtes ibi.

I

Ia, violæ 95.a
Iacobus Zieglerus 18.a
Ianthina purpura 93.a
Ichthyophagi 2.a b
Ictinos volucris 60.a
Idem quid ſignificet 104.a
Ierax piſcis 60.a
Ileberris fl. 134.b
Ilicis coccum 107.b
Illyricæ cochleæ 133.b
Imber pluuialis q̃ ſit vtilis 26.b.110.b. vide Pluuia
Inaures quę dicantur 133 a
Indicarum beluarum marinarum vaſtitas 2.a
Inferiora ſuprà, & contrà 119.b
Inſecta an reſpirēt 6.b.7.a. vt videant. ibi.b
Interpretis vitium maximum 104.a
Inteſtina terræ 50 a.127.a
Iocinera ſcarorum laudatiſſima 37.a
Ion melan, melaniō 95.b
Ion porphyrion 94.b
Ion, viola purpurea 93.a
Ioniſcos piſcis 30.b
Ioton oleum 93.b
Iris 100.b
Irix piſcis 60.a
Iſpidion piſcis 27.b
Iudicū ineptorū mos 35.b
Iulus muſculus 136.b
Iulides piſces 24.b

L

Labeones piſces 31.b.32.a 127.b
Labrax piſcis 33.b.34.a
Lac delphinorum 9.b
Lacerta 124.a
Laccia piſcis 18.a
Laconia 65.b
Lacus, tinæ, & labra 66.a
Ladonis amnis piſces vocales 44.a
Lamia piſcis 53 b.54.a b
Lampetræ 37.b.38.a.39.a
Lanaria herba 45.b
Lanat⁹ ſine lane⁹ piſcis 35.a
Lancinare 5.b
Lanigeræ herbæ 93 b
Lagoos cherſæos 120.b
Lagoos thalaſſius ibi.
Lapidem in capite quidam piſces habent 26 b.34.b
Latus clauus 92.b
Laticlaui, patricij ibi.
Latus piſcis 41 b.44.b
Leones marini 75.b
Leonicenus 101.b
Leonicenum refellit 103.b
Lepidotus piſcis 41.b
Lepus marinus 120.b
Lepus terreſtris ibi.
Lethrini piſces 26.a
Leucoion violæ genus 93 a b.94.b
Leucomænides 59.a
Leuiraia 38.b.54.b
Licinius Murena 132.a

Lictores

Lictores 89.b
Lienoſorum remedia 114 b 115.b
Lig. coccum 107.b
Liguſtrũ arbor q̃ ſit. 101.b 102 a.103 b.105.a b
Lilium 95.b
Limax 82.b
Limacis finitio 82.a
Limaces 1 b.82 a.110.b
Limariæ piſces 20 a 127.b
Lingua ceruina 113.b
Lingua piſcium 30.b
Linguæ purpurarum fortitudo 90.a
Limuſiæ cochleæ 82.b
Liſpidion piſcis 27.b
Literæ florib⁹ inſcriptę quę intelligantur 100.a b
Littus quid dicatur 50.b
Littorales piſces qui dicantur 50.b
Lobos quid ſit 71 b.72.a
Locuſta inſectum 71.a
Locuſtarum piſcium cõſideratio 28 a.46 b. 70.a b.71.a b.72 b.73.a.76.a. 78 a.123 b.129 a.136 b
Loliginum cõſideratio 60 a.61 a. 62 b. 66 b.67 a b. 68 a. 69 b. 123 a b. 129 b
Lolius piſcis 66 b
Longi piſces 46 a.47 b
Lubrici piſces 47 b
Lucerna piſcis 60.a
L. Craſſus orator 13.b
Lucius piſcis 33 b.34.a
Lucrina oſtrea quando cœperit ĩ p̃cio eſſe 131 a
Lucrinus lacus 131 b
Lucullus piſcinarius 132.b
Lunæ effectus in piſcibus 7.b.74.a. 87.b
Lunam deducentes veneficæ 45.a
Lupus araneus 36.a
Lupus auis ibid.
Lupus piſcis 26.b.33.a b. 34.a.35.a.b.36.a.46.a 127 b.131.b.136.b.
Lupus quadrupes 36.a
Lutariç teſtudines 11.a
Lychnos exocœtus piſcis 43.b
Luſitania regio glandifera 25.a
Lycus amnis 135.b
Lycos piſcis 33 b.34.a. 135 b
Lyra piſcis 44.a

M

Macrobij locus 41.a
Męę ſeu Maię piſces 75 ab
Mænæ ſeu Mænides piſces 58 b.59.a
Malacia quæ dicãtur 60 b
Malacoſtraca 13 b.74.a
Malea promõtorium 117 b
Maleficę beſtiæ non ſunt vbi plani piſces ſũt 118 b
Maleficæ vt lunam deducant 45.ab
Malleolus piſcis 33.a
Mammas an piſces habeant 43.a.46.a
Mammas etiam & lac habent cetacea 9 b.22.b.
Mangonus fl. 18.a
Manon, ſpongiæ ſpecies 116.b.117.b
Maraſſus vipera 16.b
Mare euertitur caniculæ ſydere 28.b
Maris tempeſtatem pręſagiunt echini 79 b & deſ
ex Mari qui piſces aſcendant 41.b
Maribus omnibus non omnes piſces naſci 42.a
Marides piſces 59.a
Mas & fœmina in arboribus 104.b
Maris erga fœminam in ſepijs fides 61.a
Maris ſiluri cura de ouis 130.a
Mares in quibuſdam piſcibus non ſunt 26.a
Mares piſces fœminis pręſtantiores 17.a
Mares vt cõcipiãtur 121 a
Maſſarij diligentia 114.b
Marcelli Virgilij Dioſcoridis iterpretis error 25 b.29.b.40.b. 46.a. 90.b 95.a.96.a. 106.b.113.a. 114 b.121.a.115.a.
Margaritarum cõſideratio 84.a b.85 a. vide vniones
Martialis locus 21.b
Maſſilienſes Phocæenſium colonia 15.b
Maxinos piſcis 36.b
Meiurana 101.b
Melãdrya quæ dicãtur 21 a
Melandrys piſcis 21.b
Melanion 94.b
Melanuri piſces 42.a
Melicembales cõchæ 84.b
Melicera 88.a
Membradæ 24.b. 135.a
Menidia piſces 59.a
Meninx inſula 89.b
Menula piſcis 59.a
Merula piſcis 24.a b.27.b 42.a
Metus diſſolutio 63.a
Miluus piſcis 60.a
Mineruę oculi quales 29.b
Miſtocetus 86.b
Mixinos piſcis 31 b.32.a
Mixones ſeu mizones piſces 31.b
Mobiliora quæ ſunt, plu-

res etiã partes habẽt 110.a
Mœnus fluuius 18.a
Moganus fl. 18.a
Molle quid dicatur 103.a
Molliũ piſciũ conſideratio 14.b. 56.a. 60.b. 66.b. 67.a b. 68.a b. 129.b
Monedularũ genera 36.a
Monocoros 106.b
Mora agreſtia 102.b.103.a
Morbos an ſentiant piſces 122.a
Motus aĩaliũ quĩ fiat 46.b
Motiones plures, plura etiam inſtrumenta deſiderant 110.a
Mucones piſces 31.b.32.a 127.b
Mugil ſeu mugilis piſcis 26.b. 31.a. 32.a. 33.a. 41.b.46.b.127.b.
Mula herba 113.b
Mulæ ſcolopendrio delectantur 113.b
Mulle⁹,calceorũ gen⁹ 39.b
Mulierum luxus 86.a
Muliones culices 125.a
Mulus piſcis 39.b.40.a.120 b 127.b
Murena piſcis 27.b 38.a 42.b. 44.b. 46.b.48.a b 50.b.51.a.b. 52.a.123.a 131.a.b.133.a
Murenarum viuaria 51.b 132.b
Murex 58.b.87.a. 88.b.90 b 96.b
Murianenſes vitrarij 85.b
Muriceæ veſtes 88.b
Murinus piſcis 27.a
Murus piſcis 50.b.51.a
Mus araneus 44.b
Mus aquatilis 11.a 12.b 44.a.87.a.124.a.130.b
Mures ſylueſtres 44.b
Muſculus piſcis balenæ caliganti dux 136.b
Muſculi,ſeu myes 86.b
Muſculi è terra & aqua nati 135.a
Muſtela piſcis 1.a.37.b.38 a.39.a.54.a.129.b
Muſtelli,nebrides & acanthiæ 54.b
Muſtela terreſtris 39.a
Muſtelus ſtellaris 39.a
Mute in mollium genere quæ ſit 62.b.77.b.81.b
Myaces 87.a
Myes conchæ 84.b.86.b
Myoſotis radix 114.a
Myrus piſcis 50.b.51.a
Mys piſcis 87.a
Mytuli 86.b 108.b.111.a.124.b
Myrinus piſcis 51.a
Myxa,cõcharũ ſaliua 82 b
Myxones ſeu myzões 31.b

N

Narce piſcis 53.a.111.b
Narciſſus flos 95.b
Natex piſcis 84.a.91.a
Natura cuiq; creato ſecũdũ ſpeciem ſuam optimè conſulit 76.b
Naturæ ab inanimis ad animata progreſſ⁹ 116.a
Nauplius piſcis 66.b
Nauticus piſcis. ibi.
Nauticos,ouũ polypi 63 b
Nautilos piſcis 63.b.66.b
Nebrides piſces 1.b.54.b
Nereides piſces 3.b
Nerites piſces 84.a
Nihil ex toto efficitur. 111 a
Nigrum pro colore purpureo 101.a
Noctuæ oculi 30.a
Nomina alia atque alia pro magnitudine piſces quidã ſortiuntur 20.b
Noſa nobiliũ q̃rũdã virorũ a piſcibus ducta 132.a

O

O pro au 30.b.131.a
Obſtragula q̃ dicãtur 86 b
Oculi cærulei, cæſij,glauci 29.a
Oculi in piſcibus ſtatim pateſcunt 17.a
Oculi ſenectute ſicceſcunt 30.b
Oculorum coloris varietas in homine 29.b
Oculorum pupilla 29.a
Odor 6.b.8.b
Odorandi ſpiritus 7.b
Odoratus inſectorũ 7.a b
Odoribus trahuntur piſces 66.a
Oenanthe 95.b
Oeſtrum,id eſt aſilũ 25.b
Olfactus piſcium 6.b.8.a
Ololygo ranarum 124.a
Omydes,teſtudines 11.b
Oniæ piſces 37.a
Oniſcos inſtrumentũ 36 b
Onos & oniſcos piſcis 36 a b
Onyches cõchæ 83.b.84.a 136.a
Ora piſcium vbi ſita 5.b
Orata,quæ & aurata 30.b 131.a. inde dictus Sergi⁹ Orata. 131.a.132.a.
Orca piſcis, & vas vinarium 5.a
Orcynes ſeu orcyni piſces 20.b
Origes piſces 5.a
Orphacines piſcis 27.b
Orphus piſcis 27.a b.28.a. 135.b
Orum ruſtici aurum vocant 30.b. 131.a
Os quibuſdã animatis infra

fra eſt 79.b 110.a b
Oſmylos piſcis 63.b
Oſſa piſcium vaſta 2.b
Oſſolis piſcis 65.b
Oſtraciũ ſiue oſtracõ 84.a
Oſtracoderma 13.b
Oſtreorum cõſideratio 83.b.86.b.89.a.108.b.118.b.126.b.131.a b
Ouum & vermis imperfecta 56.b.57.a
Oua auium intus perficiuntur, piſciũ extra.122 b
Oua à matre derelicta filurus mas cuſtodit 130.a
Oua piſcium.17.a.56.a.110.a.113.a
Oua q piſciũ pariũt, q aĩal. 34.b.38.b.47.b.56.a.
Oxalme 41.a
Oxyrinch' piſcis 32.b 41 b
Oze, caſſiæ ſpecies. 65.b. naris fœtor 65.b
Ozena morbus 65.b. piſcis 65.b
Ozenitis nardi genus 65.b
Ozolis piſcis 63.b.65.b

P

Pæderotes 99.a
Pagellæ ſeu Pagelli 26.a 27.a
Paganelli piſces 134.a
Pagri piſces 26.a b.27.a. 135.b
Paguri cancri 73.a.75.b
Paluſtris aqua, aquæ putrefactio 32.b
Panis ex piſcibus 2.a
Papauer ſeu mute quid ſit 77.b 81.b 82.a.119.b
paphlagoniæ piſces foſſiles 135.a
Paralios pinna 87.a
Pariendi tempus in piſcibus 50.b 128.b
Partes omnes nõ omnibus piſcibus adſunt 77.b
Partus leuandi ratio 53.b
Paſſer auis 45.b
Paſſeres piſces. 44.b.45.a 112.b.127.b
Paſtinaca piſcis 1.a 38.b 52.b.54.b.112.b.121.b
Patauiũ, Bauariæ vrbs 18 a
Patella. 84.a. 91.a. 109.a. 110.a.
Pauli Æginetæ opinio exploſa 34.b
Pauones piſces 19.b
Pecudes piſciuoræ 2.b
Pectines volantes 108.b & dein'
Pectinum conſideratio 83 a b & dein.
Pectunculi 108.b
Pedes animalibus vt ſiti ſint 46.a b.67.b
Pedes habentia aquatilia vt natent 49.a
Pedes vnde dicti 48.a
Pedibus carentes piſces 47.a.48.a.49.a
Pediculi cur ſanguinem appetant 125.a
Pediculis & pulicibus etiam piſces infeſtantur 25.b.120.a b
Pedicul' piſcis. 26.a.120.a
Pelagiæ purpuræ 91.a
Pelamis 20.a b 21.b
Pelamidum captura 23.a
Penna in auibus 14.a
Pentadactyles 84.b
Pentacoros 106.b
Pentaphyllon 103.a
Perca ſeu perceca piſcis 24.b.27.b.28.b.41.b.42.b
Perfectiora animalia quæ dicantur 56.b
Perfectum à perfecto naſcitur 56.b
Perſecus piſcis 28.b
Phagorij, phagorini & Phagri piſces 27.a
Phagrus piſcis 41.b
Phalænæ, quæ & balenæ 4 b.23.a
Phalerica piſcis.24.b.134.b
Phaulia 92.b
Phercha piſcis 28.b
Philoſtrati locus 19.b
Philyra & philyria 103.b 104.a.105.a b
Phlebotomiam hippopotamus docuit 13.a
Phlox 95.b
Phoba quid 71.b. 72.a
Phoca, vnde & Phocæa vrbs 15.b
Phocæna piſcis 11.a 12.b
Phragolini piſc.26.a.27.a
Phragorius piſcis 41.b
Phycæna piſcis 59.b
Phycides piſces.24.b.59.b
Phyllitis herba 113.b 114 b
Phyſa piſcis 41.b
Phyſemata quæ dicãt. 85.a.
Phyſeter piſcis 3.a
Pilis insecta animal pariunt 22.b
Pinifer mons 18.a
Pinna concha 76.b 77.a 84.b 85.b 87.a 107.a b
Pinnæ piſcium 14.a.38.a. 46.a b.47.a.48.a b
Pinnophylax ſeu pinnother 107.b.108.a
Pinnother. 76.b.77.a.87.a 107.b.108.a
Pirata, limax 82.b
Piſcinæ nobiles. 132. a b. 133.a
Piſcinarij cur vocati a Cicerone quidam nobiles Romani &c. 132.b

Piſcatrix rana 53.b 54.a
Piſcis è terra velut naſcens 134.b
Piſcis ſacer, põpilus. 23.b. & dein
Piſcis nomine lupus piſcis aliquando venit. 35.b. circa finem.
Piſces à quibus infeſtentur. 25.b
Piſces alij ouum, alij animal pariunt 15.b.56.b
Piſces aliq̃t dijs ſacri.40.a b
Piſces, capras terreſtres amantes 127.b
Piſces celerrimè adoleſcũt. 21.b
Piſces ex mari aſcendentes. 41.b. extra aquam viuentes. 44.a.49.a. foſſiles.133.b.134.a.135.a
Piſces fœminæ maiores q̃ mares 26.a
Piſces glaciati 134.a
Piſces in cibum qui vtiliores 24.b.32.b.33.a
Piſces longi lubrici & aſperi 46.a.47.b
Piſces mutuò auxilio inuicem ſunt 136.b
Piſces non omnes fœminas eſſe 68.b
Piſces quorum ſpinas ſimul comedimus, alimẽtum humidum exhibẽt. 135.a
Piſces ſaxatiles aluum mouent 24.a
Piſces tãquã ſeminati. 37.a
Piſces tum etiam feliciter degunt, cũ bene hominibus annus cedit. 26.b
Piſces vbi optimi & pinguiſſimi 32.b & 33.a
Piſces vocales 43.b
Piſciũ amor, ac libido. 31.a
Piſcium branchiæ, & pulmones 42.b
Piſcium coitus. 122.a.b. 123.a.127.a
Piſcium exanguium genera 60.b.70.a
Piſcium immanium terror. 1.b. vſus 2.a.
Piſcium inter ſe inimicitię. 136.b
Piſcium lingua 30.b
Piſcium non morbus, ſed ægrotatio 122.a
Piſciũ nomina quibuſdam Romanis attributa. 131.a.132.a.b
Piſciũ nomina vnde ſumpta 33.a
Piſcium operimẽta. 13.a.b
Piſcium oua citiſſimè creſcunt 123.a
Piſcium pariendi tempus. 128.a.b
Piſcium pietas 17.b
Piſcium pinnæ. 46.b.47.a
Piſciũ propagatio. 134.b
Piſcium quidam æſtate latent 28.b
Piſcium ſomnus à quo impediatur 120.a
Piſcium ſpecies. 16.b. genera.60.b
Piſcium ſtudioſiſſimi antiqui 34.a
Piſcium terrẽdorum ratio. 3.a.
Piſcium variorum ſolertia. 112.a.b
Piſcium vaſtitas immanis. 3.b.
Piſcium viuaria 132.a
ex Piſcibus panis 2.a
Piſcibus quare abſtinerent Pythagorei 32.a
Piſcibus ſexus ineſt. 122.a.b
Plani piſces. 44.b. 45.a. 52.a.54.a. cur ſacri dicti. 118.b.
Plantarum generationes. 111.a.124.b
Plataneta 19.a
Plataniſta piſcis 18.b
Platonum ſaxum 19.a
Platanurus piſcis 18.b
Platax & platiſtacos piſcis. 41.a.
Plenilunijs noctes calidiores ſunt 73.b
Plinius à Dioſcoride mutuatus. 106.a. ab Ariſtotele. 113.a
Plinius an ſibi cõtradicat. 85.a.126.b
Plinij commẽdatio. 106.a. eius obliuio. 27.b. error. 44.a.70.a.73.a.
Plinij locus explicat*. 104.a. reſtitutus. 12.b. 23.a. 26.b. 46.a. 47.b.64.a. 71.b.
Plinio refragatur. 6.b.63.a
Plotæ piſces 31.b.51.b
Plumatile aurum 92.b
Plutarchus 113.a
Pluuia teſtatis commoda eſt. 110.b
Pluuiæ aquæ vis 127.a
Pluuiæ piſcibus vtiles. 26.b.32.b. 90.a. quibus noceant. 27.a
Plyſiæ ſpongiæ. 118.a
Pœcilogaſtor piſcis. 36.a
Poggius Florentinus. 34.a
Poliũ culices gignit. 125.b
Polybius megalopolitan*. 25.a
Polypodinæ piſces 63.b
Polypus morbus. 63.b.& deinceps.

Polypus

Polypus piſcis 44.b. vnde dictus 61.a
Polyporum piſcium conſideratio. 62.b. 63.b. 64.a b.65.b. 66.a b.67. a b. 68.a.69.a b. 123.a b.128.b.129 a. 136.b.
Poma, hoc eſt cauum. 84.a
Pomatiæ cochleæ. 82.b
Pompilus piſcis. 23.b. & dein.40.a
Ponto cur celerrimè piſces adoleſcant 21.b.26.b
Põtum malefica beſtia nõ ingreditur 22.b
Porci marini 25.b.41.b.
Porphyra, purpura 87.b. 96.a.
Portus leo 37.a
Potæ marinæ 120.a
Potereus fl. 115.a
Præſtigiatorum fraus. 72.a
Prætexta 92.b
Priſtes piſcis 2.b.3.a
Prolis amor in ſiluro piſce. 130.a
Pſenes, culices ficarij.125.a
Pſetta aut pſitta 45.b
Pſittæ piſces. 24.a. 112.b. 131.b
Pterygophoron 97.b
Prynx auis 120.b
Pulices piſcium.25.b.120. a b.
Pulicariæ herbæ vis. 68.a
Pulmo ſpirandi gratia datus 6.b
Pulmonem qui piſces habeant 4.b. 42.b
Pulmone prædita calidiora 56.b
Pulmones marini. 119.a b
Purpura. 87.b. 88.a b.89. a b. 90.a. 91. b.111.a. 129.b.
Purpura ianthina ſeu violacea 93.a
Purpurea viola, nigra etiã vocatur 101.a
Putredo quid 111.a
Putridum quod eſt, ſalſum eſt 126.b
Pyrræus euripus. 73.b.74. a.129.b
Pyræus portus 37.a
Pythagorei à piſcibus abſtinebant 32.a

Q

Quaternis notis moueri omnia animalia 46.b
Quĩqueremis quot remos deſyderet 58.a
Q. Hortenſius. Vide Hortenſius.
Quiſquilium 107.b

R

Radicula herba 45.b
Radix capitata quæ dicatur 94.b
Radicibus alimẽtum plantæ trahunt 110.b
Raia. 38.b. 48.b. 52.a b. 54.a b.123.a
Rana 124.a
Rana oua parit, non animal 130.a
Ranarum coitus. 123.b. 124.a. vlulatus. ibidẽ.
Ranarum multiplex gen⁹. 124 a.
Rana marina ſeu piſcatrix. 52.b. 53.b. 54.a. 57.a. 111.b.112.a
Raphael Volaterran⁹.34.a
Raphis piſcis 130.b
Reatinæ cochleæ 133.b
Recens & crudum 40.b
Remittere quid ſignificet. 43.a.
Repere in ſicco, & repere in humore, non eorundem. 48.b
Remora piſcis. 57.b. & deinceps.
Reſina 97.b
Reſpirẽtne piſces. 6.b
Rhiades piſces 128.a
Rhina, ſquatina 52.b.112.
Rhinobatos, ſquatraia. 127.a
Rhinobatus piſcis 53.a
Rhombi piſces.44.b.45.a. 112.a b.131.b
Rhombi veneficarum. 45. a b.
Robur arbor 104.a
Roſæ decor momẽto perit 102.a
Roſcinus fl. 134 b
Roſpus piſcis 54.a
Rotæ piſces 3.b
Rubelliones ſed rubelli piſces. 26.a. 130.b
Rubens & cæruleum differunt 100.b
Rubeta 124.a
Rubia planta 107.a
Rubri maris teſtata 110.b
Rubus ſentis 103.a
Ruellius 40.b. 105.b
Ruminat inter piſces ſolus Scarus 36.b
Rutupina oſtrea 131.b.

S

Saboga piſcis 18.a.
Sacri piſces. 23.b. 24.a. 118.b. 135.b
Sacos color, & ſacodios gemma 99.a
Salgamarium 5.a
Salmuria 41.a
Saliuarius lentor 124.b
Salmo piſcis 42.b
Salpa piſcis. 42.a. 128.a
Salſamentarium 5.a

Salſamenta Græcorũ.21.a
Salſedinis cauſſa putrefactio 126.b
Sampſuchus 101.b
Sanguis, materia ſpiritus. 63.a
Sãguinis loco quod in exanguibus eſt,humor vitalis appelletur 63.a
Sanguine carẽtes piſces,& eius compotes. 46.b. 47.a
Sanguine carentium piſciũ tria genera 79.a
Sanguine pręditorum animaliũ ſola anguilla ſexum neutrũ habet. 49.b
Sanguiſugæ 127.a
Saperdes piſcis 41.a
Sapinos color 99.a
Sardæ piſces. 24.b. 127.b
Sardinæ piſces 24.b
Sargones piſces. 31.b.32.a.127.b
Sargus piſcis 31.b.40.a. 127.b.136.a.
Sarranus color 89.a
Satorũ fructus quibus cõtineatur 72.a
Saxatiles piſces. 24.a b.27. b. 42.a. 127.b.
Scarus. 24.b. 36.b. 37.a. 42.b.
Schirati,ſeu ſciuri. 44.b
Sciæna piſcis 26.b
Scilla 94.b
Scillæ piſces 75.a
Sciuri 44.b
Scoleclon 107.b
Scolopendræ 113.a b
Scolopendrion herba.113. b. 115.a
Scombraria inſula 41.a
Scombri piſces 22.a
Scorodalme 41.a
Scorpiones piſces 24.a
Scurapola auis 36.a
Scylurus rex 17.b
Secures pro magiſtratibus 89.b
Selache, chartilaginea. 54. a b.
Senatorum prodigorũ,atque adeò ebriorũ mos. 35.b
Senectutis ſerpentium indicium 43.b
Senectutem quæ exuant. 13.b.72.b
Senectute ſiccescunt oculi. 30.b.
Senſus mollium piſcium. 68.a.
Sepiæ conſideratio. 60.b. 61.a. 62.b. 63.a. 66.b. 68.b. 69.a b. 123.a b. 128.b.129.a b
Sepium teſtũ.61.a. 67.a b.
Sergij oratæ inuenta.131.a
Serpentes cur pedibus careant. 48.a
Serpentis proprium in ſicco repere 48.b
Serpentium cortex cutis. 13.b
Serpentum partus 16.a
Serpentibus an commiſceantur murenæ 50.b
Serpẽtina ſpecie piſces diu extra aquã viuunt.43.a
Seruius improbatus.101.b
Seruorum minor cura quibuſdam Romanis erat, quàm piſcium 132.a
Seſilos cochlea 82.b
Sexitana ſalſamenta 21.a
Siccitas à vita remota eſt. 56.b.
Silẽtium Pythagoreorum. 32.a.
Silicea in piſcibus 13.b
Silicea teſta incluſorũ conſideratio 118.b
Siliqua quorum dicatur. 71.b.72.a
Silurus piſcis. 17.a b. 18. b. 25.b. 30.b.41.b.42. b. 59.b. 130.a
Similitudine quædam nominantur 103.a
Simon Ianuenſis 33.b
Simplicia vt optimè cognoſcas 103.b
Siſyrinchum. 94.a
Smaris piſcis. 58.b.59.a
Smariti homines qui dicatur. 59.a
Smyrena, quæ & murena. 51.a.
Soleæ piſces 44.b
Solenes conchæ.44.b.83. b.136.a
Solini locus 19.a
Soliniſtæ piſcatores, 83.b
Solitaneæ cochleæ. 82.b. 133.b.
Somnus piſciũ. 6.a.120.a.
Spari & ſpargi piſces.128.a
Spatagi 79.b
Spatha piſcis 1.b
Sphenes piſces 31.b
Sphyræna piſcis 33.a
Spinas quorum edimus piſces concoctionem ſpirituoſam faciunt. 135.a
Spinaces piſces. 1.a.39.a
Spirandi facultas quo ſit. 6.b.
Spirandi facultas ſub terra. 6.a.
Spirãtia, odorem in aquis non ſentiunt. 7.b
Spirẽtne piſces. 6.a b.
Splænion herba. 115.a
Spõgiæ. 116.a b. 117.a b

Sponte

Sponte prouenire quæ dicantur 124.b
Spuma enaſcēs piſcis. 134.b.& 135.a
Squamma piſcium. 14.a
Squamarum duritia, ſenectutis indicium 43.b
Squatina piſcis. 48.b.52.b.54.b.112.a.127.a b
Squatraia piſcis 53.a
Squilla parua 76.b.107.b
Squillæ piſces. 75.a.78.a.123.b
Statius Seboſus 19.a
Steiura vrbs 2.b
Stellæ marinæ 119.a.120.a.136.a
Stellaris piſcis 39.a
Strepitum odere piſces. 8.a
Strictum Calipolis. 37.a. Conſtantinopolis. 84.b
Stromateus piſcis 42.b
Strombi piſces 1.b.81.b
Strumarū remedium. 54.a
Struthion, auis, herba. 45.b.46.a.105.b
Sturio 17.b.34.a
Succinum 98.a
Sudis piſcis 33.a
Superæ inſecta 126.a
Synagrides piſces 27.a.135.b
Synodontes piſces. 20.b.21.a.27.a.135.b
Sypharum lacus 46.b
Sypontinus 1.b.34.b.38.a

T

Tabeſcentibus vtilia. 11.a
Tacolæ aues 36.a
Talpæ 6.a.
Taprobane inſula 85.a
Tarentū & Tarentina veſtis 96.a
Tellines 87.a
Terræ defoſſa aīalia. 6.a.
Terræ inteſtina. 50.a.127.a
Teſta operta aīalia. 108.b
Teſta ſilicea inſecti piſces. 70.a
Teſtacei piſces. 56.b.60.b
Teſtatorum conſideratio. 8.a. 73.b. 79.a. 91.a. 124.b. 126.b. 129.b
Teſtudinis, quæ & chelone, conſideratio. 11.a b. 13.a b. 44.a. 81.a. 123.a. 130.b
Teſtum ſepium 61.a
Tetracoros 106.b
Teucrion herba 114.b
Teuthis piſcis 60.b
Theodorus Gaza 47.b. 90.b. 106.b. 113.b
Thunnæ 20.b
Thunneum ſacrificiū. 21.a
Thunnus, qui & thynnus. 16.b. 17.a. 19.b. 20.b. 21.a. 22.a b. 23.a b. 24.b. 25.a
Thūnina ſalſamenta. 21.a
Thymelæa frutex 107.b
Thynnides piſces 20.b
Tilia 104.a
Timor vrinam diſſoluit. 63.a
Tinca piſcis 24.a.34.a
Tinctura tincturam ſuperueniens 106.b
Tipulæ 125.b.126.a
Toidis inſula 85.a
Torpedo. 38.b.48.b.53.a.54.a b. 55.b. 111.b. 129.b
ex Toto nihil efficitur. 111.a
Trabea 92.b
Tragi piſces 59.a
Tragos ſpongia. 116.b. 117.a
Tremulus piſcis, torpedo. 111.b
Trichias piſcis. 24.b. 127.b. 135.a
Triclinare 96.b
Tricoros 106.b
Tridacna oſtrea 131.b
Trientale 114.b
Trigle geneatis piſcis 39.b.60.a
Triſſa piſcis 18.a
Tritō piſcis. 3.b. 10.b.60.a
Trochylus auis 43.b
Trochos piſcis 130.b
Truta piſcis 28.b
Trygon ſeu paſtinaca. 52.b.112.b.121.b
Tubera 119.a b
Turbinatorum conſideratio. 81.a. 82.a b. 109.b
Turbines piſces 1.b.77.a.81.b
Turdus piſcis. 24.a.27.b.42.a b.
Turpena piſcis 53.b
Turſio piſcis 11.a
Turtur piſcis 52.b
Tylos inſula 85.a
Tympania gemmæ. 84.b.85.a
Tympanum 85.a
Tyriamethyſtꝰ color. 98.b.
Tyrij, & purpura tyria. 89.a
Tyrſio piſcis 11.a

V

Vaciniū, hyacinthus. 100.b.101.a b
Vacinia nigra quæ intelliguntur. 101.a. 102.a
Vapor pro calore 91.b
Varij piſces 44.a
Varolus piſcis. 34.b.35.a
Varronis liber de admirādis 51.b.131.b
Vedius Pollio. 51.a
Veneficarū rhombi. 45.a b

Venena in piſcibus. 120.b
Venena vt ne noceāt. 136.a
Venus vt inhibeatur. 53.b
Veneris gemma 99.a
Vermi ſimilis piſcis 19.b
Vermes piſces 19.a
Vermium generatio. 126.a
Vermis & ouum imperfecta 5.b
Vermipera 122.b
Vernationis membrana, ſenectus 72.b
Verrucata veſtis 92.b
Vertibula 119.a b
Vertibula plantis ſimilia. 108.b. 116.a b. 119.a b
Veſicam inter corticata ſola teſtudo obtinet. 11.b. 12.a
Veſtes byſſinæ. 107.a. clauatæ. 92.b. 96.b. conchyliatæ. 87.b. 88.a. muriceæ. 88.b. plumatiles. 92.b. ſarranæ. 89.a. tyriæ ibi. verrucatæ 92.b
Victor Fauſtus 47.b
Victui optima vbi proueniant 35.a
Vinarij culices 125.a
Violarum genera 93.a b. 94.a. 95.a b. 101.b
Vipera. 13.b. vnde dicta. 16.b
Viperarum partus 16.a b
Virgilij locus. 100.b. 101.a
Vitta piſcis 46.b
Vitalis humor 63.a
Vitrarij Murianēſes adulteratores cohibiti. 88.b
Vitulus de quibus dicatur. 5.a
Vitulus marinus 15.a b
Vituli marini, maleficæ beluæ 23.a
Viuaria cochlearum. 133.b
Viuaria ſuū & ſylueſtrium animalium 133.b
Vmbilici cochleæ. 82.a. 129.b
Vinorum infuſcandorum ratio 108.b
Vngues piſces. 83.b. 103.b.
Vnionum cōſideratio 84.a b. 85.b. 87.a
Vniualues conchæ. 108.b. 109.a b.
Vocales piſces 43.b
Volare quomodo dicātur pectines piſces 83.a
Volutæ quę dicantur. 90.b
Vranoſcopos piſcis. 135.b
Vreon 21.b
Vrinatorum emerſio. 9.b
Vrſi marini 75.b
Vrtica herba vnde dicta. 116.a
Vrtica piſcis. 113.a. 115.b. 116.a b. 119.b
Vtero dehiſcente parit acus piſcis 130.a
Vua piſcis 1.a
Vulpecula piſcis 38.b. 39.a. 54.b
Vulpes marinæ 115.b
Vultauia Bohemiæ fl. 42.b
Vuluas habent erythini, & chanæ piſces 130.b

X

Xiphia piſcis 1.a. 118.a

Z

Zaconia, Laconia 65.b
Zeus piſcis 41.b. 42.a
Zieglerus geographus. 18.a
Zophyta quæ dicantur. 115.b

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA